



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>






79 - 6.

FCC
N 1630

Bl - Gu^o 26065

79 - 6.



sed deinde se fuisse quodam prædicta communione velut
 naturaliter. Sed tunc vel omnes illi sicut sedis et tunc
 etiam ratione distinctionem; non quia illam ex quo, atque
 voluntatis, sed ratione conuenienter a suo, quod est conuenienter
 videtur. Quod non alia excusus quatuor si
 misera non accidit, vel carcerem dampnatur, vel con-
 placatur arbitrietur proxima etiam aetate, quam si
 libato, quia consummatione difficile nullus alio
 tam cum peccatis inveniatur, et immunitur. Altero
 modo ex timore iniurie veluti utrumque de sepon-
 tur de prima causa officiis debitis postmodum adesse, faci-
 ent ratione naturalem, non ratione naturalem conservare
 ratione actionem, non omnijs, non solentia, quia aliis
 ratione generali quatuor, et nulli defensione possi-
 licet debitor ex sola appetitione tenetur, nam
 prædictis utrūque de seponitur, et ex electione preiuia possunt fieri
 et debet omnium protectionem, non ut suadentem
 voluntatem velut, quoniam ex quo, et defensio sententiæ
 ratione conuenienter ex quo, et sententiæ ratione con-

75 - 6.

1630

AELIANI
DE VARIA HISTORIA LI-
bri XIII, nunc primum & latini-
tate donati, & in lucem
editi,

IUSTO VULTEIO V. VET.
terano interprete.

Item,

DE POLITIIS, SIVE RE-
publicarum descriptiones, ex He-
taclide, codem interprete.

BASILEAE.



I V S T V S V V L T E I V S V V E T A
teranus Ioanni Pinciero consobrino
suo s.



Vm superioribus annis
bellici motus & arma to
tam Germaniam occu
passent, uidebam extin
ctis penè Icholis, plerosq; à liberali
bus studijs discedere: nonnullos eti
am, qui maiores progressus in literis
fecissent, ciuitatibus ac patriæ suam
operam impertire. Quidā uero pri
uatam recolendarum artium ratio
nem instituerunt, ut cum ulterius
progrediendi ac discendi plura fa
cultas non daretur, interim ad ea
quæ cognouissent, usum & exerci
tationem adhiberent, ac locupletio
ra redderent, aut saltem percepta con
seruarent. Quo tempore deliberan
ti mihi quid potissimum facerem, aut
quomodo meis rationibus consule
rem, uenit in mentem tantisper in
pristinis studijs operam consumere,

a 2 ac

ac permanere, donec quò res evaderet, sc̄iremus. Opportunè igitur accidit, ut eodem cohortatio doctissimorum virorū accederet, quorum ego consilijs refragari piaculū ducebam. Ii cum in leuioribus periculum fecissent, quid in reliquis præstare possem, Aelianū mihi de Græco in Latinum conuertendum proposuerunt. Ita fit, ut neq; ambitione ductus hoc onus suscepérimus: neq; uero impulsus temeritate, quæ solet in hanc ætatem, qua ego sum, frequenter cedere. Eruditorum hominum uoluntati morē gerens, non solū meis, uerū etiam aliorum studijs utilitatem aliquam adferre uolui. quorū alterum me adeptum esse sentio: alterū an asecutus sim, ego de meipso affirmare non debeo. est enim arrogātis: neq; uero negare, quod est temerarij. Per te Pinciere consobrine, Græcae linguae peritissimū, & tui similes doctos viros iudicium esto. Evidē tibi præ cæteris huncautorem inscribendum,

dum, et has mearum lucubrationum
primitias dedicandas censui, multas
ob causas. primum, quoniam ad hoc
preclarissimum literarum studium,
suasor & autor mihi semper extitisti:
qui quicquid in eo profeci, quamuis
exiguum est, tamen quicquid id est,
acceptū referre debeo. Deinde quod
cognitione benevolentiaq; mihi es
coniunctissimus: tum quod scriptor
est eiusmodi, qui tibi in primis conve-
niat, cum ob admirādam facundiam,
& Atticam dictionis cōcinnitatem,
cuius te perstudiosum esse animad-
uerti: tum quod syluam quandā ube-
rem & copiosam, omniq; rerum &
exemplorum genere refertam com-
plectitur, quę cupidū uarietatis pluri-
mū delectare, & audiū cognoscen-
di iuuare multum potest. Postremò
fuit necessarium, ut aliquem huius e-
ditionis mihi patronum assumerem:
qui si fortè labor meus in calumnias
maleuolorum quasi scopulum incur-
riasset, vindicare me à crimine, uelut

E P I S T O L A.

naufragio posset. Etenim est hæc ætas nescio quo fato ad criminandum proclivior, quam ad laudandum propensior, ut ne summis quidem scriptoribus, Aristoteli, Homero, Ciceroni parcat. Quæcum ita sint, quid ego de me futurum sperare debeam, facile est conjectura augurari. Quanquam uero multos habeam in ea re patronos & aduocatos, tam Ciceronem aliquem & perfectum oratorem tecum adhanc causam adiungere, qui neminem calumniantem non facile uel autoritate, uel eruditione, uel orationis facultate, repelles & confutabis. Hæ rationes me impulerunt, Pinciere consobrine, ut hanc uersionem, qua Aelianum latinum feci, tibi potissimum dedicarim. Cæterum in eius narrationibus quid est non egregium, non præstans, non idoneum uel ad cognoscendum, uel ad imitandum, fugiendumue? Nam quæ sine assidua multorum ac diuersorum auto-

autorum lectione & singulari dili-
gentia colligi non potuerunt, ea no-
bis Aelianus in unum quasi fascem,
mirabili uerborum elegantia rede-
git, ut uno labore, sine tædio fasti-
dioque plurima ac diuersissima ani-
mo comprehendenderemus. Quid uero
deest sermoni? Quid non in eo ter-
sum, elegans, politum & Atticum?
planè ut Romanus Græca cloquen-
tia multos Athenienses uideatur ex-
cellere. Quod Philostratum non fe-
sellit, cum in eius vita sic scriptum re-
liquerit: ἡτοικε δὲ ὁ ὄντες οἱ ἐν τῷ μεσογείῳ
Ἄθηναι. Sed ille neque eget lanè meo
præconio, neque ut maximè uellem, sa-
tis pro dignitate laudib. uehere pos-
sem. Proinde studiosos adolescentes
ad Aelianum quam diligentissimè
legendum, euoluendumque adhor-
tor: qui ita breuibus multa uariaque
complexus est, ut nemo uel operam
uel tempus quod in hunc impende-
rit, sit perditurus. & omnes rogatos

a 4 uolo

8 E P I S T O L A.

uoſo, ut hunc meum conatum in me
liorem partem interpretentur. Dete
Pinciere non mihi dubium est, quin
pro mutuo nostro amore, & cogni-
tione, munus hoc à me profectum le-
uidense, boni consulas. Vale, Fran-
cofurti, Anno 1548.

AELIANI

AELIANI DE VA-

RIA HISTORIA,

Liber primus.

De polypode,



Lurimum roboris han-
bent polypodes in uentri-
bus, & quiduis obuiū si-
ne negotio deuorāt. Pro-
inde neque à suo genere
quidem sēpe abstinent;
sed cum à maiori captus
minor in laqueos ualidiores incidit, qui flagella
piscis appellantur, mox in ferculum ei cedit. Insi-
diis faciunt etiam piscibus hoc pacto. Sub scopulis
latitantes sedent, & eorum colorem induunt, sic
ut idem cum scopulis esse uideantur. Cum igitur
pisces tanquam ad scopulos, ita ad polypodes ad-
natant; illi suis retibus, nempe cirris, imprudentes
implicant.

De phalangibus.

Textoriam artem, atque texere, & Ergane
deæ munera, neq; norunt phalanges, neq; nosse
uolunt. Quomodo enim ueretur eiusmodi uesti-
mentis talis bellua? ipsa uero rete, & quasi nassam
possidet ijs que incident; magnoq; silentio & tac-

a 5 tur-

turyitate excubias agit, et immota similima est. Quod si quid incidit; quicquid illud sit, ex eo coenam parat. Incidit autem tantum, quantū et tela capere potest, et illi ad explendā famem satis est.

De ranis Aegyptijs.

Peculiariter quadam sapientia præditū est genus ranarum Aegyptiarum, et reliquis maximè precellit. Si enim in uarum Nili alumnum incidat rana, subito demordet frustum arundinis, et id obliquum gerens, fortiterque tenens, non remittit prouirili parte. Ille uero ranam cum ipsa arundine simul deglutire non potest. Non enim tantam amplitudinem os habet, quantum arundo extenditur. Atque ita ranæ prudentia uincunt, et superant hydrorum robur.

De cane Aegyptio.

Etiam hoc ad singulare quoddam prudentiae donū in Aegyptio cane referendum est, quod neque cumulatum, neque remissē, neque libere bibunt ex flui: sed coniectis in eum oculis, simul, quantum satis est ad repellendam situm, okiter hauriunt. conspiciunt enim subtus in eo bestias. Pretercurrunt autem ripam, et suffurantes bibunt, quantum est rapere, iterum atque iterum. Ita deinde saturati ex interstitiis non perierunt, et sitim nihilominus restinxerunt.

De

De vulpe marinâ.

Vulpes non solum illa terrestris bestia calliditate pollet, sed etiam marina uersutijs plena est. Nam escam quidem non suspicit, neq; uero obseruat eam propter intemperantiam, sed hamū prorsus etiam contemnit uulpes. prius enim quam hæmator arundinem trahat, illa proficit, & funiculum abradit, ac rursus natat. Sæpe igitur duos aut tres hamos deuorat: nihilominus tamen pescator eam non comedit, aut ē mari extraxit.

De testudinibus marinis.

Testudines marine partū in terra edunt. Enī ex uero continuò defōsis intra terram ouis reuertuntur, & suo more natant. Tantum autem habent rationis, ut quadraginta dies numerare possint, intra quas foetus compactis ouis in animalia iam euadit. Tunc redeuntes ad eundem locum, ubi reposuerant & absconderant suam sobolem, effodiunt terram, quam iniecerant, & illam iam sequi ualentem secum abducunt.

De suibus agrestibus.

Sues agrestes non omnino sunt medicinae ex curationis imperiti. Itaq; cum per imprudentiam byoscyatum comederunt, statim attrahunt postea dimissè ita se gerentes. Deinde licet contra eum tamen ad aquas perueniunt, et ibi collectos can

eros

cross epulantur promptissimè, qui morbi remedium eis præstant, & pristinam ualeitudinē restituunt.

De phalangio.

Phalangium ceruos tanto malo afficit, quanto etiam homines, ita ut sèpè in repentinæ mortis periculum ueniant. At si gustent hederam, mors nihil adfert detrimenti. Hederam uero sylvestrem esse oportet,

De leone ægrotante.

Aegrotanti leoni nulla potest alia medicina adhiberi: sed si comedat simiam, id ei morbi remedium existit.

Quomodo Cretenses capræ sagittarum iaculum curent.

Cretenses sagittandi periti sunt. Quare iaculis petunt capras, que in montium cacuminibus paucuntur. Illæ uero coniectæ, repente comedunt herbam dictam, & simulac gustarunt, iacula tota excidunt.

Quòd futurorum præscij mures.

Mures omnibus animalibus, uaticinandi scientia præstant. Nam cum domus aliqua consenuit, & ruinam iam minatur, primi sentiunt, & relictis suis cauerinis et pristinis habitationibus, quantum contendere pedibus ualent, fugiunt, aliudq; domicilium querunt.

De

De formicis.

Formicæ etiam, sicut accipio, quendam futurorum sensum habent. Nam imminente fame militum in modum sunt laboriosi ad comportandum uictum, & reponendum sibi frumentum, ac reliquos fructus, quibus uescuntur formicæ.

De Gelone.

Gelon Syracusius, per insomnium ictus fulmine, exclamauit non tacita, neq; infirma uoce, sed ut solet in somnijs fieri, strenua, tanquam gravissime metu percussus. At canis qui propè eum dormiebat, uociferatione perturbatus, & circumiens ipsum, uehementer & terribiliter latrabat. Atq; his Gelon exasperatus, metu solutus est.

De cygno.

Aristoteles inquit, cygnus pulchram multaque sobolem progignere. solere adhuc predictum esse irascendi facultate animæ: unde fit ut sepe ad iram prouocentur, sepe concertantes se mutuo perimant. Idem ille affirmat, cygnos cum aquilis bellum gerere, uerum ita, ut iniuriam à se propulsent, non ut imperium in uitios teneant. Cantandi studiosos esse, iam communi sermone peruulgatum est. Ego uero cygnum nunquam audiui canere, fortasse neq; aliis. Creditur tamen canere: & tunc potissimum aiunt eorum cantum suauissimum

et illa

*& iucundissimum esse, cum uitæ permutatio p̄f
foribus est. Trajciunt autem pelagus, et per ma-
re uolant, indefesso alarum remigio.*

De columbis.

Columbas successionē perhibent ouis incubare: deinde pullis effectis, masculum eos souere, repellentem ab ipsis omnem iracundiam, ut inquit, ne si non faciat, contentiones & litigies exerceant. Parit foemina duo oua, quorum semper prius mare producit, alterum foeminam. Parviunt omnibus anni partibus, unde per annum decies foetum edunt. De Aegypto ferunt, in ea regione columbas duodecies parere. Aristoteles vero liuias asseuerat diuersas esse a columbis, quod columbe sint maiores, liuiæ uero minores: et columbe sint cicures, liuiæ non item. Idem ille tradidit, masculum non prius in foeminam ascendere, quam osculum illi dederit: non enim recipere foeminas marium commercium, si vacuum sit osculo. Addit ad hec etiam illa, quod foeminae, deficiente mare, seiphas mutuo descendant, neque quicquam in se inuicem mittant. Gignunt tamen oua, e quibus non efficiuntur pulli. Quod si Callimacho fides est adhibenda: palumbus, pyrrallis, columba et turtur, nihil habent inter se similitudinis. De India dicunt, quod habeat columbas

nubas, colore melinas. Charon uero Lampsaces
nus affirmat, circa Athen uisus esse columbas can-
didas, cum ibi triremes Persarum quae præterlege-
bant Athon, perirent. In Eryce uero Sicilie, ubi
templum Veneris est uenerandum & sanctum,
cum certo tempore offerunt Anagogia sacri-
cia Erycini, & Venerem e Sicilia discedere in Le-
byam affirman, euanescent ex eo loco colum-
be, quasi comitantes Venerem. Reliquo uero
tempore, ingentem earundem avium copiam, su-
per deæ templo superuolare constat. Insuper
Achiui commemorant, iouem ipsum in figuram
columbae uersum esse, cum amaret Pbthiam uirg-
inem, habitantem in Aegio.

De Socrate, cum cicutam biberet.

Cum rediisset nauis e Delo, & Socrates mor-
te multandus esset, accedens in carcerem Apol-
lodorus Socratis amicus, tulit ei tunicam ex pre-
ciosa lana, pulchre que textam, simile item pal-
lium: & rogauit, ut indutus tunica, amictus que
pallio, sic demum uenenum biberet. Dicebat en-
im, eum magnifica sepulturæ non expertem
fore, si in ijs mortem obiret: sic enim non prorsus
indecore cum ornatu mortuum faciturum. Hec ad
Socratem Apollodorus. At ille non passus est, sed
dixit

dixit ad Critonem, Simmiam & Phædonē: Quām uero præclarām opinionem de nobis habet Apollodorus, si sperauit, post propinatōnem ab Atheniensibus factam, & uenient absorptionem, se ita uisurum esse Socratem. Nam si crederet me paulo post infra pedes proiectum & prostratum iricatum est, cum me non agiturum esse.

De minutissimis quadrigis, & elegeio.

Hec sunt opera Myrmecidæ Milesij, & Callistratis Lacedæmonij, quæ propter nimiam exilitatem in admiratione habentur. Quadrigas fecerunt, quæ sub musca possent abscondi, & in secessu mo distichon elegeium literis dureis inscripsérūt. Quorum sanè neutrum, mea sententia, homo prudens & uirtutum studiosus laudibus prædicabit. Quid enim hæc aliud sunt, quam temporis uana perditio?

De mulieribus luxuriosis.

An uero non plurimas mulieres luxu & luxuria diffuxisse putemus, quæ corollam sublimem capiti imponebant, pedes uero sandalijs induebat, ex auribus longas in aures dependentes habebant. Tunicarum uero eam partem quæ est ab humeris usq; ad manus, non consuebant, sed continuis fibulis aureis & argenteis constrinxere. Atq; hæc ueterum

terum memoria perpetrata sunt. Atticarum uero
mulierum delicias Aristophanes recenseat.

De Sybaritarum, Colophoniorum, & Corinthiorum luxu.

*Dictum uulgare, et in omnes homines euula-
gatum, ait Sybaritis et eorum ciuitati, nimium lu-
xum exitialem fuisse. Ego uero ea in medium pro-
feram, quae non multis cognita et explorata sunt.
Colophonis etiam ipsis ferunt intolerandam lu-
xuriam, perniciem et interitum attulisse. Etenim
etiam illi splendidis uestibus superbierunt, et in-
temperantia mensa supra modum abutentes, ini-
que fecerunt. Adhac Baccheiadum Corinthiorum
magistratus, cum ad summum potentie gradum
peruenisset, tandem per immoderatam luxuriam
dissolutus est.*

De Dionysio sacrilegia pa- trante.

*Dionysius ex omnibus Syracusarum templis
et delubris per sacrilegiū pecuniam abstulit. Sta-
tuam Iouis uestitu et omnibus ornamentiis spo-
liauit, que octuaginta quinque auri talentis aeste-
mabantur. Et cum statua artificibus attingere re-
ligiosum esset, ipse primus manum iniecit. Depra-
datus est etiam simulacrum Apollinis, aureis cas-
pillis predictum, quos abradere aliquem iussit. In-*

b de navigatis

de nauigans in Trozeniam, uniuersas Apollinis et Leucotheae pecunias nefario scelere abripuit. Non sam etiam argenteam astantem Apollini iusfit auferri, quam fortuna quedam prospera, proprietationum causa, deo donauerat.

Ismenias sine turpitudine Persarum regem adorauit.

Ismenij Thebani sapientissimum et plane Gr̄cum factum, silentio preterire nullo modo possum. Is patriæ causa legatione ad regem Persarum suscepta, uenit, et uoluit ipse de suo negotio regem conuenire. Tribunus itaq; militum, cuius officium erat, res nunciatas ad regem deferre, et uolentes ad eum introducere: Verū ò Thebane hospes, dicebat (hec autem ioco loquebatur per interpretem. nomen erat tribuno Titbraustes) lex est uernacula Persis, ut is qui in conspectum regis uenit, non ante sermonem cum eo conferat, quām genua inclinauerit. Quod si igitur uis ipse eum adire, necessere est, ut quod lex iubet, peragas. Sin minus, nos te cogemus, si nō adoraueris. Ismenias uero, Agens igitur, inquit, deduc me. Cum autem in faciem regis uentum esset, annulum quem gestabat, è digeo detractum, clam abiecit ad regis pedes: confessimq; procumbens, tanquam adoraret, sustulit eum iterum, et honorem quidem adorationis Persarum regi prestitit: nihil tamen commisit, quod ignominiosum

niosum aut indecorum foret Græcis. Quicquid igitur petiit, impetravit, neque quicquam à Persa ei denegatum est.

Munera, quæ Persarum reges legatis soliti sunt largiri.

Munera, quæ rex dono dabat, uenientib[us] ad se legatis, siue iij ex Græcia, siue aliunde aduenissent, hæc erant. Vnicuique talentum Babylonicum argenti præstantissimi. Talenta uero, duæ fuerunt argenteæ phiale. Conficit autem Babylonicum, septuaginta duas minas atticas. Item armillas, et acinaces ceni dabat, et torquem: uniuersa hæc mille Daricis estimata. ad hæc stolam Medicam, quam Dorophoricam appellant.

De Gorgia & Protagora.

Veterum Græcorum ætate, summa gloria floruerunt, Gorgias Leontinus Philolai filius; et Protagoras filius Democriti. Sapientia uero tantum absuerunt, quantum à uiris pueri. Nam fama quodammodo uidetur non semper ueritatem perspicere, et audire. Quam ob causam se penumero fallit, et tum ad gratiam blanditur, tum etiam mendacia spargit.

De contentione Herculis & Lepreæ.

Glauco filius Neptuni ex Astydamia filia Pbor
b a bantis,

bantis, genuit filium nomine Lepreā: qui cum Augēa consilium inijt, de uinciendo Hercule, cum certaminis & laborum suorum mercedem ab eo. repetiuisset. Proinde ut uerisimile est, infensus Herculi Lepreas erat ex hac cōsultatione. Intericto deinde tempore, Iouis filius ad Caucones proficiatur. intercedente autem per obtestationes Astydamia, Hercules similitates, quas cū Leprea exercebat, dissoluit. Iuuenilis igitur quedam emulatio inter hos accidit, ut disco mutuò contendenter, & aquarum exhaustione, & uter prior taurū comedere posset. In quibus omnibus superatur Lepreas. Et inde certamen aliud ortum inter eos est, uter bibendo plus posset: ē quo rursum inferior discessit Lepreas. Tandem ira & indignatione commotus, sumptis armis, ad solitariam pugnam Herculem prouocat. Persoluit igitur poenas eorum que cum Augēa tractauerat: pugnando enim interfecitus est.

De magnificentia Alexandri in Phocionem, & contrà Phocionis in Alexandrum.

Alexander Philippi filius, siue quis manuult Iouis, id enim mea nihil refert, soli Phocioni, ut aiunt, Atheniensium duci, cū scriberet, χαίρε μ, id est salutē apposuit. Adeò Phocion Macedonis animum sibi deuinxerat.

deinxerat. Insuper etiam centum argenti talenta misit ei, et quatuor ciuitates nominavit, quarum quamcunq; libitum esset, diligere iufit, ut eius census ex redditus in suam et propriam utilitatem conuerteret. Erant autem ciuitates, Chius, Elea, Mylaea, Patara. Atq; hæc Alexander liberaliter et magnifice. Verum magnificentius longè Phocion, qui cum neq; argatum, neq; ciuitatem accipere uellet: tamen ne plane promissa Alexandri nihil facere et contemnere uideretur, hac re eum honorauit. Eos qui in arce Sardis captiui tenebantur, liberos sibi dimitti rogauit: Ecechratidem Sophistam¹, Athenorum, Himeræum et Demaratum, qui duo fratres erant, et Rhodij.

De Aglaide multiuora.

Fœminam audio tuba cantasse, eiusq; experientum simul et artem habuisse nomine Aglaidam, filia Megacleis. Comam habebat apposititiam, et cristam in capite, ut testatur Posidippus. Singulis coenis comedebat duodecim minas carnium, et quatuor choenices panum, bibebat congium uini.

De voracitate multorum.

Voraces supra modum referunt fuisse, Pityreum Phrygem, Cambetem Lydium, Thyrum Paphlagonem, Charidam, Cleonymum, Pisandrum, Chrippum, Mithridatem Ponticum, Calamodrum Cyzicenum,

Zicenum, Timocreontē Rhodium, pugilem simul
et poetam, Cartibarim Persam, Erycichthonem.
Myrmidonis filium, qui ob eam causam etiam asse-
nus est appellatus. Dicitur autem in Sicilia tem-
plum existere uoracitati sacrum, et Cereris fru-
mentariæ simulacrum. Testatur etiam Alcman
poeta, se fuisse uoracissimū. Et Anaxilas comicus
dicit, Ctesiam quendam infinite uoracitatis fuisse.

De obsonijs quæ apud Rhodios sunt in precio.

Ego uero Rhodiam opinionem uobis comme-
morabo. In Rhodo, ut inquiunt, qui pisces in deli-
cijs habet, horum suavitatem admiratur, et omnibus
reliquis obsonijs anteponit, cum populares
quasi liberalem commendant. Cui uero magis arri-
det carnium esus, iij agrestes et uentres calumniae
causa apud Rhodios audiunt. Verum hi ne an illi
recte male ue faciat, id uero inquirere supercedeo.

Quod ouis leonem fuerit enixa.

Coi dicunt, in pascuis Nicippi tyranni ouem
peperisse. Peperisse uero non agnum, nec agnam,
sed leonem. Atq; id Nicippo, qui tum priuatam ad-
huc uitā agebat, futuram tyrannidē portendebat.
Galetem non ob formā magis, quam
singularem rerum cognitionē à Pto-
lemaeo fuisse adamatum.

Ptole-

Ptolemæus rex amasium habebat Galetam, pulcherrima forma præditum. Animus uero iuuenis longè formam superabat. perspè igitur etiam Ptolemæus testimonium ei perhibebat, inquiens, O' lopidum caput. Nulli unquam ullius autor incommodi extitisti, at multorum utilitatem promouisti. Accidit aliquando, ut cum rege adolescens equitaret. Cum uero procul aliquos ad supplicium trahi uideret, non oscitanter in hæc uerba regem affatus est: Sed ò rex, inquit ad Ptolemæum, quandoquidem prospera quadam sortium istorum fortuna, equos concendimus, age si tibi gratum est, calcaribus admotis & uelocius persequentes appareamus miseris quasi Dioscuri saluatores, & aduocati salutem ferentes, quod communni prouerbio de his diis uulgatum est. uerùm ille maximam uoluptatem capiens ex eius bonitate, & propensum ad misericordiam animum amplectens, tum nocentes seruauit: tum amoris, quem erga puerum gerebat, intentionem multum confirmauit & auxit.

Lex Persarum, de ferendis regi muneribus.

Legem habent Persæ, quæ una ex omnibus observantissimè ab illis colitur. Cum rex in Persiam equitat, omnes ei Persæ, singuli pro suis facultatibus

tibus munera offerunt, ut qui agricultura dedito sunt, ex terra colenda operam nauant, et qui sua manu laborant opifices, neque nimis attrita ex prava, neque nimis preciosa ex magnifica donant, sed aut boves aut oves: nonnulli etiam frumentum, siue vinum. Exeundi autem ipsi ex preterequitanti, hec a singulis apponuntur, ex munera nomine vocatur, qua appellatione etiam ipse recipit. Qui uero sunt his pauperiores, lac, palmas, ex cascum ferunt, maturaque bellaria, et alias primicias de suis fructibus.

De aqua regi Persarum do- no data.

Hec igitur historia etiam Persica est. Ferunt hominem Persam, nomine Sinetam, procul a suo tugurio, factum obuiam Artarixerxi, qui Mandmon cognominabatur, ex interceptum, metu legis seipsum cruciassere, atque uerecundia regis. Cum uero, quid in presentia faceret non haberet, aut molestie patientem se ab alijs Persis officio superari, neque committere uolentem, ut ipse solus donis non ferendis infamis esset, ad preterfluentem proxime fluum, nomine Cyrum, summa celeritate accurrisse, ex euestigio procumbentem, aquam utraque uola hausisse, et sic regem allocutum esse: O rex, inquit, Artaxerxa, regnes in eternum. Nunc ego pro locorum et facultatis ratione te honoro, ut non

non indonatus, quantum ad me attinet, & quantum in me est, præterea. Honoro te Cyri aquis. Quod si ad tua castra ueneris, domo mea, quæcumque facultates patientur, preciosissima et optima ferens, te honorabo: ex forsan haud cedam cuiusquam illorum, qui nunc te muneribus uenerantur & excipiunt. Artaxerxes hac re delectatus, Et ego, inquit, o homo, grato animo munus tuum accipio, & in preciosissimis numero, & illis equale ac par esse dico. primum quoniam aqua rerum omnium est optima. deinde, quoniam Cyri nomen presefcit. Et prorsus uolo, ut mihi diuertenti, in castris appareas. Hæc locutus mandauit spadonibus, ut munus ab eo reciperent. qui sine mora acurrentes, in auream phialam de manibus eius aquam exceperunt. Rex uero, cum ad diuersorum suum peruenisset, misit homini stolam Persicam, et phialam auream, atque mille daricos. Simulque ferentem ea dicere iussit: Visum est regi, ut hoc auro tuum animum oblectes & exhibares, quoniam ipsius quoque mentem uoluptate affecisti, qui non indonatum neque inhonoratum præterire passus sis: sed quemadmodum necessitas patiebatur, ita sis ueneratus. Vult etiam, ut hac phiala aquam ex illo flumino haustum bibas.

De malo punico eidem regi donato.

b s

Mises

Mises Artaxerxi per Persidem equitanti, max-
imum punicum maximum obtulit in uanno. Rex ma-
gnitudinem eius admiratus, interrogauit, E' quó-
nam horto depromptum hoc donum mihi ad-
fers? Illo uero respondente, domo sua ex suis ar-
gris: gauisus rex supra modum, missis regijs mu-
neribus uirum ornauit, & Per Solem, inquit, iste
homo tali curatione & diligentia poterit etiam ci-
uitatem, meo quidem iudicio, ex parua amplio-
rem reddere. Videtur autem hic sermo innuere,
omnes res, cura & sufficienti opera, & indefesso
labore, contra naturam etiam meliores & pre-
stantiores effici posse.

De patre filium suum capitilis reum postulante.

Homo quidam genere Mardus, nomine Rha-
cones, septem habebat liberos. Sed ex his omnium
minimus natu, nomine Cartomes, magos & sapi-
entes multis damnis affligebat. Primum igitur
eum pater instituere, erudire, ex uerbis reducere
in uiam tentabat. Verum cum ille non admitteret
disciplinam, & quodam tempore uicini iudices eō
uenirent, ubi sedes suas habebat adolescentis pa-
ter, ille comprehensum filium, & manibus inter-
gum reuinctis, ad iudices abduxit. Ibi, quaecunque
iniquam per audaciam deliquerisset, cum accusatio-
ne

ne sommemorauit: et à iudicibus postulauit, ut adolescentem ad mortem raperent. At illi animis consternati, suis sententijs eum condemnare noluerunt, sed utrung; ad regem Persarum Artaxerxem adduxerūt. Mardo uero semper instanti, et eadem contendente, excipiens rex ait: Potis ne es etiam ferre, ut filius in tuo conspectu uita priuetur: qui respondit, Maxime. Quoniam cum in horo nascentium lactucarum surculos amaros defringo et amputo, tantum abest ut dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, ut etiam magis efflascat, item magnitudine et dulcedine plus augedatur. Ad eundem modum ego o rex, cum uidero eum, qui meam familiam ledit, et uite fratrum officit, obstatq; uitam amittere, et à suis in ipsos iniurijs prohiberi, etiam ipse amplificabor, et reliquos mei generis similiter mecum prosperam fortunam agere conspiciam. Quibus auditis Artaxeres, Rhaconem cohaudauit, et in collegium regorum iudicum cooptauit, his uerbis praesentes allocutus: Qui tam seueriter et iuste de proprijs libetis sententiam audet pronunciare, omnino etiam in alienis criminibus incorruptum et sincerum iudicem se praestabit: adolescentē uero presenti culpa liberauit, grauiſſimam mortem interminatus, si preter antecedentia peccata in posterum simili in crimen deprehensus fuisset.

AELIA

AE L I A N I
AELIANI VARIAE HISTO-
RIÆ Liber secundus.

Quemadmodum Socrates animum Alcibiadi fecerit, ut ne plus æquo metueret amplius populum.

Et hec Socratis ad Alcibiadem uerba refereamus. Qui cum adolescens admodum angeretur, et uehementer timeret in populi concionem prodire, Socrates confidentiorem reddere et excitare uolens, An non, inquit, futorem illum (adfecto nomine) nihil pendis? Annuente Alcibiade, rursum excipiens Socrates, Quid, inquit, an non etiam illum circorum praeconem, aut etiam coriarium illum? Fatente Alcibiade adolescenti: Num' ne igitur concio, inquit, ex alijs quam huiusmodi constat? Quod si ergo singulos contemnis, contemnendi tibi sunt etiam si una sint congregati. Hec prudentissime filius Sophronisci et Phenareta, filium Clinæ et Dinomaches docebat.

De perperam laudatis picturis.

Cū Megabyzus aliquādo picturas tenuiter et ruditer confectas laudibus extolleret, alias uero cū summa industria elaboratas reprehenderet, pueri Zeuxidis, Meladem tenentes, eum deridebant. Zeuxis itaq; Cum taces, inquit, Megabyze, nescio quid magni de te sibi pueri hi pollicentur. Respiciunt enim

enim ad uestem et cultum tuum. Simulac uero quid artificiosum uis dicere, te contemnunt. Parcior igitur et consideratior sis in laudandis, compescens linguam: neque cuiusquam, que nihil ad te attinent, opera uel artem collaudes.

De Alexandro, quod simulacrum quoddam non dignè laudauerit.

Alexander Ephesi suam ipsius imaginem, quam Apelles finixerat, contemplatus, non laudauit pro dignitate picture. Cum autem introductus equus adhinniret equo picto, perinde atq; uero: O rex, inquit Apelles, sed hic equus in discernendis picturis longè te meliore iudicio præditus esse uidetur.

De amore Charitonis et Melanippi, & tyranni erga ipsos miseratione.

Phalaris factum recensebo, nobis abhorrens disimum, ab eius moribus. Nam humanitatē quādam præsefert singularem, et idcirco consentaneum ei non uidetur esse. Chariton erat quidam Agrigentinus, pulchritudinis amator, et circa formam iuuenum infeliciter uersatus. Hic ardenti desiderio Melanippum amabat, qui etiam ipse Agrigentinus erat, animum gerens honestum, et elegantia forme prestans. Hunc Melanippum læserat.

rat quadam re Phalaris. Cum enim iudicio cum amico Phalaridis contenderet, tyrannus mandauit, ut litibus desisteret. Qui cum non obediret, extremum periculum ei minitatus est, nisi morem gereret. At ille iudicio superauit eum, qui necessitatem imponere uoluerat. Principes autem Phalaridis irritam iudicij sententiam fecerunt. Quod adolescentis aegre ferens, iniuriam sibi fieri dixit, et amico suam iram prodidit, atque confessus est Melanippus, rogauitque ut sibi adiumento esset, ad insidias in tyrannum intendendas. Alios etiam adolescentes in societatem asciscere cogitauit, quos ad eiusmodi facinus commodissimos paratisimosque esse sciret. Chariton, cum insaniam eius ac furorem cerneret, et ab ira incensum rapi, atque sciret neminem ciuium suam uoluntatem in hanc rem daturum esse metu tyranni, se quoque dudum diebat hoc agitasse, et omnem diligentiam semper adhibere, ut patriam a seruitute praesenti libertatem vindicaret: sed periculose haec multis enunciari, et communicari. Quamobrem orare, ut sibi de his rebus penitus considerandi curam permittat, et tempus idoneum ad obeundum facinus capere sinat. Concessit adolescentis Proinde Chariton, omnem conatum apud animum suum agitans, amasium in societatem scelearis assumere nolebat: ut si deprehenderetur,

manus

manifestum fieret, ipse solus poetas dependeret; non etiam amasium periculi faceret participem. Sumpio igitur gladio, ad tyrannum uiam affebat. Nec uero clam esse poterat, sed deprehensus est a satellitibus, qui in eiusmodi res summo studio intenti erant. Coniectus autem in carcere, ex questionibus examinatus ad prodendos coniuratores, fortiter tolerauit ex passus est tormentorum saeculam atq; uim. Postquam uero longum id fuit, Melanippus ad Phalarem accedit, ex se non tantum socium huius consilij, sed etiam autorem insidiarum, Charitonem extitisse confessus est. Percontante rege, qua causa impulsus hoc fecisset, narrauit ei cuncta, quemadmodum supra retulimus, ex iudicij sublationem, atque haec sibi molesta ex indigna uisa esse confirmavit. Miratus igitur tyrannus, utrumque librum dimisit, sed ea lege atque conditione, ut eadem die non solum ex Agrigentinem urbem, necrum etiam e Sicilia excederent. Nihilominus tamē eis permittebat, ut ex suis possessionibus ex facultatibus debitum fructum caperent. Hos postmodum ex eorum amicitiam Pythia celebravit, his carminibus:

Humanæ genti autores coelestis amoris,

Et Chariton foelix, ex Melanippus erat.

Oraculo

Oraculo horum amorem diuinum & cœlestem
appellante.

**De temporis dispensatione, & quod
apud Lacedæmonios non con-
cedebatur deambulatio.**

Lacedæmonij temporis parsimoniâ magnis
pere putauerunt habendam, impendentes in qua-
uis obvia negotia, neq; cuiquam ciuium permitten-
tes, ut uel in otio uel in ludicris illud consumeret: ut
ne ijs rebus, extra uirtutem positis, tributum fru-
stra perderetur. Huius testimonium cum ceteris
etiam illud est. Cum nunciatum esset ephoris Lace-
dæmoniorum, eos qui Deceleiam tenebant, deam-
bulationibus uti pomeridianis, cum mandato mi-
serunt ad eos, qui dicerent: Ne deambuletis, ut ge-
nio indulgeatis potius, quam ut corpus exerceatis.
Nam oportere Lacedæmonios non deambula-
tionibus, sed exercitijs bonam ualetudinem pa-
rare, & tueri.

**Exemplum, quod non oporteat
multis placere.**

Hippomachus, ut fama est, pugillandi magi-
ster, cum athleta quidam ex eius discipulis speci-
men exhiberet artis, & circumstans multitudo uni-
uersa acclamaret, percusso eum uirga Hippoma-
chus, inquiens: Sed tu perperam, neq; sicut opor-
tebat

tibat fecisti, quod melius fieri debebat. Nam si quid artificiosum præstissem, non hi te collaudarent: insnuens, eos qui unumquodque ritè gerunt et administrant, non multitudini, sed ipsis tantum qui rei scientiam aliquam habent, placere oportere. Videtur etiam Socrates populi iudicium repudiare, et pro nihilo ducere, in colloquio ad Critonem: cum Crito ueniens ad eum in carcerem, suaderet ut effugeret, et Atheniensium contra se iudicium corrumpere.

Quod Thebaní non exponant infantes.

Lex hec Thebanorum, rectissime et humanae posita est: Ne ciui Thebano non liceat infantem exponere, neque in solitudinem abiecere, capit supplcio deuincta. Verum si in extrema menditatem pater sit constitutus, siue mas sit, siue foemina infans, cogitur eum statim à materno partu ad magistratum cum ipsis fascijs adferre: qui acceptum, alicui tradit leui precio, cum quo pactum et conditiones intercedunt, ut per suam fidem, infantem alat, et adultum serui uel seruæ loco habeat, sic ut alimentum et educatio seruitute compensetur.

De Xenocle & Euripide in Olympia certantibus.

Olympiade prima et sexta, qua Exanetus Adrigentinus uicit stadium, contenderunt inuicem

Xenocles.

Xenocles & Euripides. Et primam palmam consecutus est Xenocles, quisquis is tandem est, Oedipode, Lycaone, Bacchis & Athamante Satyrico. Post hunc secundus erat Euripides, Alexandro, Palamede, Troianis, & Sisypho Satyrico. Ridiculum igitur est, cum eiusmodi dramata fuerint, Xenoclem non uictum, & Euripidem non superiorem discessisse. Vnum itaq; ex his duobus in causa fuerit necesse est: aut suffragiorum domini nihil uiderunt, & imperitiam suam prodiderunt, proculq; à saeo iudicio discesserunt: aut pecunijs confusi fuerunt. Ignominiosum uero utrumq; est, & Atheniensibus indignum.

De quibusdam defectoribus, Atheniensium decreta.

Quae uero dīj boni decreuerūt Athenienses, idq; in Democratia? Aeginetarū unicuiq; pollicē ē manus dextra resciderunt, ut hastam ferre nō possent, remos uero commode agere possent. Mitylenensium uero iuuentutem occiderunt. idq; decretum factum est referente Cleone, filio Cleoneti. Captiuos uero Samiorum punctis in facie notabant, qua non tam referrent: quod ipsum etiam Atticum erat psephisma. Hec autem ut ego Athenis esse statuta, & de Atheniensibus dici uelim, auertat Pallas Minerva, & Iupiter Eleutherius, & omnes Graecorum dīj.

Timo

**Timotheus postquam Platonem
differentem audiisset, minus
se beatum putauit.**

Timotheum audito, filium Cononis, duce Atheniensium, cum floreret omnino rebus secundis, & facilimè urbes caperet, neq; satis scirent Athenies, quo eum honore potissimum dignarentur, ob summam uiri admirationem: in Platonem incidisse, qui extra moenia, cum quibusdam discipulis & notis ambulabat. Cumq; uideret eum grauem & corpulentum uirum esse aspectu, ceterum uultus benignum, differentem uero non de pecuniarum contributione, neq; de triremibus aut nauticis rebus, neq; de supplementis, aut quemadmodum auxiliu esset ferendum, neq; de tributo sociorum, siue insulanis, neq; de similibus nugis aut ineptijs: sed de illis quæ profitebatur Plato, & in quibus omne studium consumiere solebat, dixisse Cononis filium: uitam, et uerè fœlicitatem. Ex quibus manifestò colligitur, quod seipsum idcirco non omnino beatum iudicarit Timotheus, quoniam non in ipsis, sed in oculis & gloria Atheniensium, & honore uera faretur.

**Quæ Socrates dixerit de ijs qui à
triginta tyrannis fuerant
trucidati.**

Socratem, cum uideret in imperio triginta ty-
rannorum multos summæ exultationis uitros in-
terfici, et locupletissimos quosq; grauiissimis sup-
plicijs per insidias circumueniri, dixisse ferunt ad
Antisthenem: Nunquid te poenitet, quod in uita n̄
hil magnum neq; spectabile cōsecuti simus, quem-
admodum uidemus in Tragoëdia describi monar-
chas, Atreos illos et Thyestas, et Agamemnones
et Aegisthos. Nam illi obtruncati in Tragoëdijs
tēcantur, et mala fercula coenasse atq; comedisse,
ubiq; produntur. Nemo uero poetarum eò pro-
gressus est audacie et impudentiae, ut porcum ma-
ctatum in drama introducat.

De Themistocle renunciante prodigalitati.

Themistoclis, filij Neoclis, nescio an hoc etiane
factum laude dignum sit. Postquam enim abdicatus
à patre, à luxu et incontinentia desisteret, et in
uiam rediret, à scortis abstineret, alio captus amo-
re, reipublicæ Atheniensium, ad magistratus obni-
xè contendit, ipse primus esse et excellere conatus
est. itaq; dixit ad notos et amicos: Quid uero mihi
dederitis, qui nondum in ullius inuidia positus sum.
At qui delectantur inuidia, ad illud ipsum Euripi-
dis τὸ περιβλαστρον festinat. id uero stultum
est, ipso approbante Euripide.

De

De Socrate in comœdia taxato ab Aristophane.

Anytus causas et vias querebat contra Socratem, propter ea que supra diximus. Metuens uero Athenienses, et illorum uoluntatem suspectam habens, quemadmodum accepturi essent hominis accusationem. (Nam celebre nomine Socratis erat tum propter alia, tum potissimum, quod in Sophistas uehementer inuecheretur, in quibus nihil sanum inerat, et qui neque sciebant neque docebant quicquam operare precium.) Ab his igitur initium petere periculum facere coepit, quam in parte accepturi essent accusationem Socratis Athenienses. Nam statim cum in crimen uocare, non arbitrabantur esse consultum, partim ob ea que exposui, partim ne Socratis amici et a seculo exasperatos contra accusatorem iudicum animos in suas partes abstraherent, et sic in se aliquod malum redundaret, ut qui falso detulisset hominem, non solum nullius calamitatis reipublicæ autorem, uerum etiam ex diuerso, ciuitatis Atheniensium ornamentum. Quid ergo exco gitat? Aristophanem poetam comicum, nugatorem, qui et ridiculus erat, et talis haberi stadebat, sub ornata et persuadet, ut in comœdia Socratem, et omnia que uulgò ferrentur de eo mala taxaret et incœseret: Ehe loquacem, et dicendo efficere ut male cause bona uideantur, introducere nouos et inusitatos

inustatos deos, cum neq; nosset interim, neq; reue
renter haberet deos: atq; hæc ipsa quoq; in eos que
civis opera uteretur, transfundere, et eos in falso
opinionem inducere. Aristophanes arrepto argu
mento admodum uirili, risum interposuit, et me
trorum festiuitatem, optimum Grecorum materi
am sumens. Non enim illi Cleon erat in Dramate
propositus. Non fugillabat Lacedæmonios, aut
Thebanos, aut ipsum Periclem: sed uirum dijs om
nibus, præsertim Apollini charū. Proinde rei inso
lentia, et inusitato in scena spectaculo Socratis, prò
mùm omnes Athenienses, cum nihil minus expe
ctassent, obstu puerunt. Deinde, quoniā natura inut
diosi erant Athenienses, et ad optimis quibusq;
detrectandum proclives, non solum ijs qui in admis
tistratione reipublicæ et magistratibus excelle
rent, uerum etiam qui uel doctrina literarum,
uel uitæ grauitate præfulgerent: iucundum ludiu
crum uisæ sunt illæ Nebulae, et actorem plausu tam
to prosequebantur, quanto nunquam antea, et che
more uictoriam ei decreuerunt: mandaruntq; iua
dicibus, ut Aristophanis nomen, non alterius, supre
mum scriberent. Atq; Drama fuit eiusmodi. Socra
tes uero raro ueniebat in theatra, nisi quando Eis
riides tragicus poeta cum nouis tragœdis certau
ret: tum enim accedere solebat. Et tunc quoq; cum
Euripides cū Pireo contenderet, presto erat. Nam
amabat.

amabat hominem tum propter sapientiam, tunc
propter carminum uirtutem & bonitatem. Ali-
quoties uero iam Alcibiades filius Cliniae, et Critias
filius Callischri uidentes eum ad audiendas fabu-
las uenisse, ē theatro per contentionem eiecerant.
Verū ille non magni eos pendere, sed egregiē
cōtemnere, ut uir modestus, iustus, probus, & p̄rā-
ter hęc peritus, qualem se erga mordaces iniurio-
sos & quiduis obuium effūtientes, gerere deberet:
quod ipsos male habuit. Atq; etiam hęc erant eius
comoediæ seminaria, non solum ea quæ Anytus &
Melitus suggeſſerant. Haud etiam uero diſimile
est, Aristophanem magna pecunia ex hac re locu-
pletatum fuisse. Nam cum illi cuperent, & omni-
no festinarent Socratē calumnijs & conuicijs pro-
ſcindere, ipſe uero pauper & ſcelerosus eſſet, quid
abſurdum ſequatur, ſi etiam ſtuamus, eum argen-
tum ob rem in honestam & maleficioram cepiſſe?
Sed de his ipſe ſibi conſcius eſt. Conſecutum eſt igi-
tur drama magnam gloriam. Etenim illud Cratini
tum maxime uerum erat: Theatrum male ſana cor-
da habebat. & quoniā Bacchanaliorum festum ce-
lebrabatur, magna multitudo Grecorum eō, ſpe-
ctandi cupiditate confluxerat. Cum ergo circum-
ferretur in ſcena Socrates, & crebrò nominare-
tur (non mirum ſi etiam uifus in histrionum per-
ſonis, nam ſigulos etiam pulchre eum in uafis per-
ſonis, nam ſigulos etiam pulchre eum in uafis per-

sepe expressisse constat) peregrini, quis ille qui in comœdia traduceretur esset nescientes, susurrum & murmur excitabant, atq; quis nam esset ille Socrates, interrogabant. Quod cum animaduertisset ille (etenim non sciens, sed forte fortuna aderat) & intelligeret se in comœdia taxari, sedebat enim in opportuno loco theatri, ad tollendam dubitacionem ex animis peregrinorum, surrexit, & per totum drama, congregentibus histrionibus, stans cernebatur. Adeò Socrates & istam comœdiam & Athenienses nihil fecit.

De platano à Xerxe amata.

Ridendus profectò Xerxes est, quòd cum mari terrisq; Iouis operibus posthabitus, noua itinera & insolitam nauigationem sibi parasset, servuiuit platano, & arborem admiratus est. In Lydia igitur, ut rumor fert, cum uidisset proceram platanum, integrum diem ibi commoratus est, nulla postulata necessitate, & castra posuit in solitudine circa platanum. Sed & multiplicem ac preciosum ornatum ex ea suspendit, torquibus armillisq; ramos ueneratus: & curatorem ei reliquit, quasi custodem & propugnatorem amasie. Sed quid tandem ex his ad arborem emolumenti rediit? Nam or natus appositius, & nihil ad ipsam pertinens, frustra pependit, neq; ullum momentum ad splendorem & fructū arboris attulit. Sed in arbustis commenda-

mendantur generosi rami , foliorum frequentia,
stirps firma ac stabilis, radices in profundum actae,
uentorum agitatio, umbre ex ijs procedentis am-
plitudo , redeuntes in uicem fructus aquarum per
sulcos alimentum suppeditans, tum cœlo frequen-
ter depluens. At chlamydes Xerxis, & aurum
Barbari, reliquaq; munera, neq; ad platani, neque
ad ullius alterius arboris generositatem quica
quam faciunt.

De Ephororum subsellijs fu- lagine tinctis.

Clazomenij quidam Spartam uenientes, per
miuriam ex fastum thronos Ephororum , in qua
bus sedentes ius dicere, & reipub. negotia transi-
gere cōsueuerant, fuligine resperserunt. Ephori re-
cognita, non molestè tulerunt, sed uocato præcone
publico, mandarunt, ut publicè in ciuitate procla-
maret, hoc mirandum : Liceat Clazomenijs inde
sorè facere.

De Phocione.

Phocionis filij Phoci, etiam hoc factū laudabile
duco. cū enim ad Athenienses herba faceret pro cō-
cione, reprehendens quandam in ipsis ingratitudi-
nem, doctissimè, & subirata uoce dixit: Malo dan-
num à uobis accipere, quam ipse uobis damnum
dare.

42 AE L I A N I

De sapientia Magorum Persicorum & Ocho.

Perficorum Magorum sapientia, tum alia tenuit, quae ipsis scire fas esset, tum etiam uaticinandi scientiam calluit. Hi ergo predixerunt etiam Ochi sicutiam aduersus subditos ex eadem, cum id ex signis quibusdam arcanis praevidissent. Nam cum Artaxerxe patre uita defuncto regnum Persarum Ochus capesseret, Magi cuidam ex Eunuchis preceperunt, ut posita mensa animū aduerteret, quibus rebus ex obiectis rex primum manum injiceret. Qui cum oculos ad hoc intentos haberet, Ochus utraq; manu protensa, dextra unum ex adiacentibus cultris arripuit, altera maximum panem accipit, quem carnibus impositum scidit, et alacriter comedit. Quibus auditis, magi haec duo uaticinati sunt, frugum tempestiuam fertilitatem, atq; anno ne copiam illo regnante, ex eadem frequentiam portendentes: neq; falsi fuerunt.

De opiparis coenis.

Timotheus Cononis filius, dux Atheniensium, omisis opiparis coenis, et epulationibus imperatoris, assumptus a Platone ad conuiuum Academicum, et frugali musicaq; coena exceptus, reverus ad suos dixit: Qui cum Platone coenant, etiane postero die bene habent. Exinde Timotheus uituperavit

perarant coenas splendidas et onerosas, que omnes
sequentis diei gaudium et hilaritatem praescindea-
rent atque præriperent. Etiam ille sermo predicto
affinis, et sensum eundem præseferens, uerbis au-
tem diuersis circumfertur, quod postridicet Timo-
theus conueniens Platonem dixerit: Vos, o Plato,
melius coenatis sequenti die, quam presenti.

De Alexandro, qui se deum appellari uole- bat.

Alexander superato Dario, et Persarum rea-
gno in suam potestatem redacto, sapiens altius, et
prospera fortuna, qua tum usus fuerat, inflatus,
Grecis scripsit ut se deum facerent: satis equidem
stulte. Nam quæ natura ei largita non fuerat, haec
ab hominibus petendo lucrificiebat. Itaque alijs alii
ter statuentibus, Lacedæmonij decretum eiusmodi
fecerunt: Quoniam Alexander deus esse uult, esto
deus. Laconice simul et patrio more, redarguen-
tes stuporem et ueraciam Alexandri.

De Antigoni regis mansue- tudine.

Antigonum regem aiunt popularem et man-
suetum fuisse. Cui igitur uacat, pernoscere eum,
et singula facta hominis perquirere, sciet aliunde.
praedicabit etiam eius peculiarem mansuetudi-
nem

nem & humilitatem, de qua nunc dicam. Hic Antigonus cum cerneret filium suum se violentiorem, et unmodestiorem gerere erga subditos: An non, inquit, nouisti filii nostrum regnum nobilem esse seruitutem? Atq; hæc Antigoni uerba, quibus filium allocutus est, maximam mansuetudinem & humanitatem præ se ferunt. Qui id nō approbrat, is uero mihi uidetur neq; regem, neq; ciuem nosse, sed tyannicam potius uitam agere.

De Pausania Agathonem poetam amante.

Agathonem poetam amabat Pausanias filius. Et hoc quidem manifestum est. Quod uero non omnibus notum est, id ego exponam. Aliquando uenerunt ad Archelaū ambo, tum amator, tum amatus. Archelaus uero non minus amoris quam literarum erat studiosus. Cum igitur uideret crebro esse contentiones inter Pausaniam et Agathonem, arbitratus amatorem ab amatio sperni, interrogauit Agathonē Archelaus, Quid sibi uellet, quod frequenter similitates exercebat cum eo, à quo sum操ere amaretur? At ille: Huius rei, inquit, ô rex, ego rationem tibi reddā. Neq; enim ei sum infestus, neque rustica quadam morositate id facio. Quod si quid ego quoq; de moribus intelligo, tum ex alijs sum ex arte poetica, iucundissimum amantibus esse reperio,

reperio, si ex contentione & litibus cum amatis in gratiam redeant. Et sane mihi uidetur nihil illis delectabilius accidere posse. Huius ergo uoluptatis persepe eum participem facio, frequenter litterando. Gaudium enim capit, si continuam cum eo contentione dissoluam & reconciliem. Si uero & equaliter ex consueto more cum eo semper agam, non experietur dissidium. Laudauit hec Archelaus, ut inquiunt. Amauit etiam eundem hunc Agathonem Euripides poeta, & drama Chrysippum in eius gratiam elaborasse dicitur. Id certum esse, non possum affirmare: hoc autem scio, dici à quam plurimis.

Quod iustissimi Mantinenses.

Iustissimos etiam fuisse Mantinenses audio, non minus quam Locros, & Cretenses, & Lacedemonios ipsos, atque Athenienses. Nam Solon grauiissimus & iustissimus ciuis fuit, quanquam post Athenienses sensim leges, que ab illo scriptae fuerant, sustulerunt.

Quod Nicodorus pugil, factus est legislator.

Nicodorus autem pugil excellentissimus & celeberrimus, apud Mantinenses extremo etatis sue tempore, & exacta pugillatione legislator eis existit, longe utiliorem se patriæ in eare prestant, quam

quam cum publice uictor in stadijs proclamaretur. Aiunt tamen Diagorā Melium, à quo amabatur, ei composuisse leges. Haberem aliquid amplius de Nicodoro recensere: sed ne uidetur laudare Diagoram, hic oratio mea conquiescat. Nam dijs erat infestus Diagoras, et mibi molestum est ulterius de illo mentionem facere.

Quod Milo corpore quidem erat robustus, animo uero non fortis.

Aliqui robur Milonis Crotoniate multorum sermonibus usurpatū, ad cœlum extulerunt, eiusmodi de eo prædicantes. Miloni nemo aduersariorum malum, quod in manu tenebat, eripere potuit. At qui amasia eius nullo negotio exemit, sæpe cù eo colludens. Ex quo perspicuum erit promptum est, Milonem corpore plusquam virum, animo plusquam foeminam extitisse.

Quod sexta Februarij Gracis fuerit auspicata.

Sextam diem mensis Februarij multa bona, non solum Atheniensibus, utrumetiam multis alijs attulisse ferunt. Ea Socrates in lucem prouenit, et Persæ hoc die fusi atq; fugati sunt: et Atheniensis Agroteræ trecentas capellas in sacrificijs immolant, facientes id iuxta uotum Miltiade. Et octauo idus

ut idus eiusdem mensis aiunt ad Platæas prælium commissum esse, Grecosq; superiores discessisse. Nam priorem cladem, cuius memini, mense Maio factam esse perhibent: neq; uero partam ad Mycalem Grecis uictoriam alijs quam huic diei acceptâ referri, siquidem eodem die uictoriam et ad Platæas, et ad Mycalâ adepti sunt. Item Alexandrum Macedonem Philippi filium, multa Barbaroru milia fudisse dicunt octavo idus Februarij, cum Darium caperet Alexander. Tradunt eodem etiam die Alexandrum et in uitam introisse, et è uita egressum esse.

De Hyperborio Apolline, & quibusdam mirabilibus Pythagoræ documentis.

Aristoteles dicit, à Crotoniatis Pythium Apollinem Hyperborium cognominari. Et hæc addit ille Nicomachides: Quod aliquando eodem die et eadem hora uisus sit à multis et in Metapontio, et in ludis Crotone surgere. Vbi Pythagoras etiam alterum femur aureum ostendit. Dicit idem ille, quod Cosam fluuium traiiciens appellatus fit, et multos ab hac appellationem audirent.

Quod Anniceris eques bonus: & qui minimis rebus nimiam operam tribuit, negligit maiora.

Anniceris

Anniceris Cyrenensis ob artem equitandi et curru regendorum peritiam, superbū animis gerebat. Voluit igitur quodam tempore specimen artis sue Platoni exhibere, et iuncto curru in Academia multos cursus circumequitauit, adeò intentè currus gressum seruans, ut ne digitum quidem latum discederet ab orbitis, sed semper in eodem spacio permaneret. Cæteri igitur omnes mirantes obstupuerunt: At Plato nimiam eius industriam reprehendit, inquiens, fieri non posse, ut qui rebus tam nullius precij operam nauaret adeò diligentem, posset magnis et præclaris negotijs uacare. Cum enim omnis cogitatio in ista conseratur, ne cessum esse ut ea negligentius agat, quæ reuera sunt admiratione digna.

Vnde certamen gallorum gallinaceorum initium traxerit.

Post deuictos Persas, Athenienses legem posuerunt, ut galli gallinacei quotannis uno die certamen in theatro inirent. Vnde uero sum pserit occasiōnē hæc lex, planum faciam. Cum Themistocles ciuicum exercitum aduersus barbaros eduxeret, gallos gallinaceos uidit pugnantēs: neq; ille spèciatorem sese oscitantem eius pugnae præbuit. Sed totum exercitum cohibens, inquit ad ipsos: Sed hi neq; pro patria, neq; pro diis familiaribus, neque uero

uerò pro auitis heroibus periculum subeunt, neq; pro gloria, neq; pro libertate, neq; pro liberis: sed tantum, ne alter ab altero supereretur, aut alter alteri cedat. Quibus uerbis Atheniensium animos confirmavit. Quod ergo tunc eis incitamentum ad uitatem extitit, uoluit ad similiūm rerum & factōrum memoriam sempiternam consecrare.

Quemadmodum fortunam significarit Pittacus.

Pittacus Mitylene templis scalam fecit, ad nullum alium usum, quam ut esset dedicatum donum, ad umbras fortunæ repentinus ascensus atq; descensus: ascendentibus quodammodo his, quibus fortuna aspirat: descendenteribus uero, qui miserijs premuntur.

De Platone.

Plato, filius Aristonis, primum omnium ad artem poeticam animum adiecit, & Heroica carmina coepit facere. Postea combusit, nihil faciens, cu ad Homerij uersus examinans, longè deteriora uideret esse. Proinde ad tragedias scribendas opera applicuit: et elaborata tetralogia, iam in histriionū manus poemata tradiderat, & de palma uolebat contendere. uerum cum ante Bacchanalia semel audito Socrate captus omnino illius sirene, non solum à certando tunc destitutus, sed in totum etiam scribendarum

d bendarum

bendarum tragediarum studium abiecit, atq; reliquit propter philosophiam.

Quòd nemo Barbarorum impius.

Et quis non Barbarorum sapientiam laudibus extollat? siquidem nemo eorum ad contemptū deorum unquam excidit: neque in dubium uocant, sunt' ne dij an non sint, et current' ne res humanas an non. Nemo igitur, neq; Indus, neq; Celta, neque Aegyptius, eam cogitationem in animum induxit, quam uel Euemerus Meſenius, uel Dionysius Phryx, uel Hippoñ, uel Diagoras, uel Sofias, uel deniq; Epicurus. Sed Barbari hi quos dixi, contenti dunt et esse deos, et nostri curam gerere, et praesignificare futura per aues, signa, uiscera, et alias quasdam obſeruationes atque doctrinas. Quorums ergo præſcientiam homines ex benevolentia deorum habere poſſint, ea magna ex parte per insomnia et ſtellas aiunt ſignificari. Et hæc immota fidei tenentes, purè rem diuinam faciunt, sancte uitam agunt, ceremonias obeunt, orgiorum legem obſeruant: et alia patrant, ex quibus certum eſt, quòd deos obſtinatē colant ac uenerentur.

De Herculis cognominacione, & oraculo Apollinis de ipſo.

Aiunt

Aiunt quidam sermones Delphici, Herculem
Iouis et Alcmenes filium, ex genere nominatum
esse Heraclidem. interiecto deinde tempore, qua
dam de causa oraculum consuluisse, et compotem
factum quorum gratia uenerat. Præterea seorsim
etiam hæc audiuisse à deo:

Heraclem te alio Phœbus cognomine dicit:
Gratificando etenim, decus immortale tenebis.

De imaginibus fluuiorum.

Fluuiorum naturam, et uolutabra ob oculos
cernimus. Nihilominus tamen quidam imagines
eorum fabricantes, partim expertes formæ status
unt, partim boum figurā eis affingunt. nam boum
bos similes faciunt: Stymphalij Erasinum et Meto-
pam, Lacedæmonij Eurotam, Sicyonij et Phliasij
Asopum, Arguii Cephissum. In hominum uero
figura Psophiliij Erymanthium, Alpheum Heræen-
ses, Cherronesij qui à Cnida sunt, similiter ipsi
quocq; eundem fluuium. Athenienses autem Cephis-
sum colunt, ut uirum cornutum. Porro in Sicilia Sy-
racusij Anapum uiro assimilant: at Cyanā fontem,
ut foeminam honorant. Aegestenses Porpacem, Cri-
missum et Telmissum, uiroru specie colunt. Agric-
gentini cognominem urbi fluuium speciosi pueri
forma effigentes, illi sacrificant. Qui etiam Del-
phis consecrarunt, eburneam statuam et fluuij no-
men inscriperunt. statuam autē fecerūt puerum.

d 3 Do

De senectute.

Epicharmum, aiunt, cum omnino esset etate proiecta, cum quibusdam equalibus sedentem in consabulationibus, ex singulis ex illis dicentibus, alio, Mihi satis est quinque annos uiuere: alio, mihi tres: tertio dicente, mihi quatuor: respondentem Epicharmum, O optimi uiri, dixisse, quid mutuo contenditis ex litigatis de paucis diebus? Omnes enim qui conueniuntur, quodam fato propinqui sumus morti. Itaque tempus est nobis omnibus ocyus discedendi, antequam aliquod senectutis danum experiamur.

Quod somnus mortis frater sit:

& de obitu Gorgiae.

Gorgias Leontinus ad finem uite spectans, ex bene senio confectus, cum aduersa ualitudine corruptus, paulatim in somnum prolaberetur, et quidam ex necessarijs accedens inuisendi causa, quomodo se haberet quereret: Iam, inquit, me somnus incipit suo fratri tradere.

De Socrate sene & ægroto.

Socrates etiam ipse cum decrepitam iam etatem agens, in morbi incidisset, et quidam interrogaret quomodo se habeberet: Recte, inquit, utroque modo. Nam si fuero superstes, plures emulatores habeo: si uitam excepero, plures laudatores.

De

De lege, quæ ægrotantibus abstinentiam à uino precipit.

Zaleuci Locrensis cū multæ leges extant, aliae rectè commodeq; posite, tum illa non in postremis est habenda: Si quis Locrensum Epizephyriorum ægrotans uinum intemperatum bibisset, nisi iubente medico, etiamsi ad pristinam ualeitudinem redijisset, mortis ei supplicium erat constitutum, quo niam non iussus biberat.

Romanorum & aliorum quorundam lex, neq; omnibus, neq; omni ætati uinum bibere permittens.

Lex etiam hæc Massaliotica fuit, ut mulieribus non liceret uinum gustare, sed omnium ætatum foeminæ aquam biberent. Affirmat Theophrastus, etiam apud Milesios hanc legem ualere, & Iaduei parere, præter Milesias. Quid uero obstet, quo minus Romanorum quoq; legem referam? Et quomodo non iure redarguar inertiae, si cum Locrensum & Massaliotarum & Milesiorum mentionem fecerim, meæ patriæ statuta silentio præterream? Apud Romanos igitur maximè seruabatur hec lex, ut neq; libera, neq; serua biberet uinum, neq; uero clarorum hominum quisquam à pube usque ad trigesimum quintum annum.

Lex Cretensium de disciplinis.

Cretenses iusserunt liberorum filios cum quoniam concentu ex melodia leges perdiscere, ut ex musica voluptatem caperent, et facilius eas memoria complecterentur: et ne, si quid contra leges admisissent, per ignorantiam se fecisse possent defendere. Secundum, quod eis discendum proponebant, erant hymni in honorem deorum facti. Tertium, fortium virorum encomia.

Animalia bruta uinum fugientia, & alioquin inepti solita.

Omnē brutum à uino naturaliter abhorret, maximē uero ex animalibus illa, quæ uua acinisq; nimis impleta inebriantur. Et coruī, si comedant herbam sinutam, atq; etiam canes ipsi ad furorem et bacchationem impelluntur. At simius et elephas, si uinum biberint, hic sui roboris obliuiscitur, ille uersutus: et omnino sunt ad capiendū imbecilli.

Quidam dediti potationibus, & multipotis.

Potandi amantes fuisse traduntur Dionysius Sicilæ tyrannus, et Niseus etiam ipse tyrannus, Apollorates Dionysij tyranni filius, Hipparion cognatus Dionysij, Timolaus Thebanus, Charidemus Orites, Arcado Erasixenus, Alcetas Macedo, et Diotimus Atheniensis: hic etiam dictus est infundibulum,

fundibulum, propterea quod infundibulo in eos im-
posito, sine interspirio unum infusum absorberet.
Cleomenem Lacedæmonium non solum multum
bibisse perhibent, uerum etiam praua illa Scytha-
rum consuetudine praeditum fuisse, ut uinum intem-
peratum biberet. Et Ionem Chium poetam etiam
fama est, modum in bibendo uino non tenuisse. Ale-
xander etiam rex Macedonum, cum in honorem
Calani Brachmanis Indici sophistæ, qui seipsum
combusserat, certamina musica, equestria et pu-
gillatoria constituisset, uolens gratificari ludis, usi-
tatem etiam domesticamq; concertationem in ho-
norem Calani, superioribus certaminibus adiecit,
et potandi uini certamen instituit: atq; primas ob-
tinenti, præmium constituit talentū: proximo tri-
ginta minas, tertio decem. In his uictoriam consecu-
tus est Promachus. In Bacchi etiam festo libationē
præmium ordinatum est ei, qui plus bibisset, au-
rea corona: quā meritus est Xenocrates Chalcedo-
nius. qui sumpta corona cum à coena reuertere-
tur, Mercurio, qui stabat ante fores, eam imposuit,
iuxta pristinam consuetudinem. Nam et florida,
et myrrhina, et hedorea, et laurea serta, solebat
hic reponere et relinquere. Etiam Anacharsim,
auunt, plurimum bibisse apud Periandrum, hoc eti-
am domo secum præsidium apportans. Scytharum
enim est, intemperate bibere. Lacidam etiam, et Ti-

d 4 monem

monem philosophos plurimum bibisse ferunt. Præterea Mycerinus Aegyptius, cum ei uaticinū ē Bis
ta afferretur, prædicēs uitæ breuitatem, oraculum
eludere uolens, tempus duplicādo, noctes adiiciens.
diebus, semper uigilias agebat, et poculis indulge-
bat. His etiam Amasim Aegyptium annumera, de
quo satis testatur Herodotus. et Nicoteles Corin-
thius ab his sciungi non debet. Scopam etiam Cre-
ontis filium, et Antiochū regem perhibent uini cu-
pidissimum extitisse. Quam ob causam regnum ei
gubernantibus Aristeo et Themistone Cyprijs,
ipse titulum imperij inanem usurpabat. Et Epipha-
nes dictus Antiochus, Romanis obses datus, etiam
ipse uini erat immoderatè appetens. Et huic cognō-
minis Antiochus, qui cum Medis aduersus Arsa-
cem bellum gescit, etiam ipse potionibus seruice-
bat. Cum his etiam ponatur Antiochus magnus. Et
Agronem Illyricorum regem immoderata uini cu-
piditas occidit, et in pleuritudē coniecit. Item alias
Illyriorum rex, strenuus erat in bibendo, et tibi
intemperans. Cappadociæ uero regem Orrhophe-
rem quid referamus, qui etiam ipse supra modum
bibere poterat. Quòd si mulierum etiam nomina
recensere oportet (absurdum et turpe est, fœmi-
nam potandi studiosam esse, et longè magis mul-
tipotam) dicatur de his etiam. Cleio, ut perhibent,
non solum cum foeminis, uerum etiam cum uiris,
potando

potendo certare ausa, potentissima fuit, et omnes superauit. Verum hanc uictoriam adipisci, turpisimum ei fuit, me iudice.

De Platonis gloria, & æquabilitate:

Platonis gloria, et uirtutis fama, usq; ad Argadas et Thebanos permanarat. Qui missis legatis summo studio hominem, non solum ad instituendos iuuenes, et docendam philosophiam, uerunt etiam quod his maius erat, ad prescribendas reipublicæ leges uocarunt. Impetraturi igitur fuerant à uiro rogata (magnam enim Aristonides ex hac uocatione lætitia capiebat) uerum cum legatos interrogasset, quemadmodum ad æquabilem bonorum honorumq; partitionem essent affecti, et comperisset eos hanc prorsus abominari, neque ut susciperent persuaderi posse, noluit ad eos profectionem instituere.

Qui nam Græcorum optimi, fuerint pauperrimi.

In summa egestate uitam traduxerunt optimi Græcorum; Aristides Nicomacho fatus, et Phocion Phocifilius. Epaminondas, Polymatide natus; Pelopidas Thebanus, Lamachus Atheniensis, Socrates filius Sophronisci, et Ephialtes Sophonide,

Imaginis Theonis pictoris explicatio.

d s De

De Theonis pictoris artificij bonitate cum multa sunt testimonia, tum in primis hec pictura. Vir armatus excursionem ex urbe repente facit, hostibus eam aggredientibus, et vastantibus radentibus busq; terram. Manifestò autem, et prorsus animosè uidetur adolescens ad pugnam festinare. Evidem dices eum insanire, quasi ex Marte furore corruptum. Torùm uident oculi: armis sumptis uideatur quantū pedibus conniti potest, in hostes impetum facere. Inde scutum protendit, et strictum uibrat gladium, cædem facienti similis, oculis ad occidendum spectantibus: et minabundus toto habitu, se nemini parsurum. Neq; quicquam aliud adiecit Theon, non manipularem, non centurionem, non manipulum, non equitem, non sagittarium, sed hic unus armatus ei ad ostendendam imaginis perfectionem satis fuit. Verum artifex non prius exhibuit picturam, neq; congregatis ad spectandum proposuit, quam tibicinem iuxta collocasset, quem iufit carmen incitatium canere, penetrans et clamor quām fieri posset maxime, et quod ad prælium animaret. Simulac igitur auditum est carmen asperum et horrendum, atq; tuba quasi armatum expeditionem sonante, picturam ostendit, et miles conspectus est, cum efficaciorem cogitationem de excurrente in animis hominum cantus excitaret.

AELIAS

AELIANI DE VARIA HISTORIA LIBER TERTIUS.

Descriptio Tempum Thes-
salicorum.

Agesis igitur, que uocant Tempe Thessalica, nunc oratione describamus, atq; effingamus. Nam in confessu est, oratione, si explicandi uim ac facultatem habeat, non minus que uelit ponere ob oculos posse, quam uiros in arte pingendi praestantes. Est itaq; locus inter Olympum & Ossam situs. Sunt autem hi moetes altitudine insitata prediti, et quasi diuina quadam opera disiuncti. atq; in medio locum complectuntur, cuius longitudo ad quadraginta stadia porrigitur. Lati-
tudo uero in alijs partibus continet plethrum, in alijs paulo etiam plus. per hunc medium labitur, quo Peneus appellatur: in quem reliqui fluuij confluunt, et aquam ei communicando, magnum efficiunt. Hic locus habet uaria ex omnis generis diuer-
soriam, non manibus hominum facta opera, sed sponte naturae, que tunc plurimum ad pulchritudinem contulit, cum locus primum nasceretur. Nam in eo hedera copiosa, et admodum hirsuta uiget ac floret, et instar generosarum uitium, in processu arbores ascendendo serpit, atq; ipsis agnascitur.
Smulacis

Smilacis etiam magna copia, quæ se rupibus aduoluit, et ita saxum opacat, ut occultetur petra, et præter uiriditatem nihil conspicatur, atq; sit oculorum panegyris. In ipso campo et planicie uarij sunt horti, et scenæ continua, et siuo tempore gratissima uiatoribus receptacula, in quibus suauiter refrigerari possunt. Diffluunt etiam crebri fontes, et aquæ frigidæ, adq; bibendum suauissimæ. Has aquas perhibent prodeſſe lauantibus, et ad sanitatem conferre. Concinunt etiam aues hinc inde diſperſæ, et in primis musicæ, quæ auribus magnam uoluptatem afferunt, atq; indefſos cum uoluptate deducunt, modulationibus suis prætereuntium labore ſubleuant. Ad utrumq; latus fluminis comorationes ſunt, de quibus anteā dixi, et recreationalibus apta loca. Per media uero Tempe Peneus uenit, quiete, et leniter procedens in modum olei, qui umbris affatim contegitur, quæ ab affitarum arborum ramis ortæ maxima diei parte ſolares radios arcent à flumine, et nauigantibus temperatam frigore nauigationem præbent. Omnis autem uicinus populus, alij cum alijs conueniunt, et ſacrificia offerunt, et coitiones faciunt, atq; comeduntur. Quum igitur multi ſunt qui ſacra faciunt, et rebus diuinis operam continuò nauant, fit ut istac iter facientibus, aut nauiectis, fragrantes odores ſuboleant. Ita deorum cultus indefinens, locum sanctum

sancitum efficit. Hic aiunt Thessali Apollinem Pythium ex mandato Iouis purgatum, cum Pythonem serpentem iaculis interemisset, adhuc Delphos tenentem, terra oraculum habente. Deinde uero coronatum ex hac lauro Tempica, et ramo in dextram sumpto uenisse Delphos, et oraculum occupasse Ioue et Latona natum. Est etiam ara in eo loco, ubi coronatus est, et ramum abstulit. Proinde etiamnum nono quoque anno Delphi nobiles pueros mittunt cum Architheoro, qui aduentientes magnifice rent diuinam perficiunt in Tempibus, et nectentes sarta ex ea lauro discedunt, qua tunc temporis deus etiam amans, coronatus est. Ea uero via ueniunt, que dicitur Pythias, et dicit per Thessalam in Pelagoniam, Oetam, Aenianorum regionem, et Meliensium, et Doriensium, et Locrensum Hesperoriorum. Qui etiam deducunt pueros cum reverentia et honore, non minus quam illi, eos qui ex Hyperboreis sacra fruntrunt eidem isti deo, uenerantur. Atque hinc est, quod in Pythiorum ludis uictoribus laureae corone dona dantur. De Tempibus igitur Thessalicis haec mibi in praesenti commemorata sufficient.

De Anaxagora fortiter libera- rum mortem ferente,

Cum quidam Anaxagorae Clazomenio, cum alijs

alijs negotium agenti nunciasset, duos liberos ~~etiam~~
mortuos esse, quos etiam solos habebat: ille nihil per-
territus, aut affectus nuncio, respondit: Scissi eos
mortales natos esse.

De Xenophonte filij obitum fortiter tolerante.

Xenophonti rem diuinam obeunti, nuncius
quidam ex Mantinea dixit, filium eius Gryllum ni-
ta defunctum esse. At ille solum coronam depositus,
et in sacrificando persistit. Cum uero nuntius etiam
am illud adijceret, eum cum uictoria mortuum esse;
receptam coronam iterum imposuit. Haec autem
uulgaria sunt, et multorum sermone celebrata.

Quod Dion ob filij mortem non perturbatus sit.

Dion Hipparini filius, Platonis discipulus, pub-
lica quedam et communia negotia tractabat. Eius
filius a tecto delapsus in atrium, uitam cum morte
commutauit. His nihil commotus est Dion, neque
mutatus, sed constanter in eo quod inceperat, effe-
ciendo perseverauit.

Antigonus filium suum mor- tuum uidens, nihil pertur- batus est.

Antigonum secundum aiunt, cum aliqui filium
eius ex acri mortuum reportarent, uidisse quidem
ipsum;

èpsum, sed uultum non mutasse, neq; uero lacrymas fudisse: sed collaudatū, quòd ut fortis miles oecubuisset, sepulchro mandari iussisse.

De magnificentia Cratetis.

Crates Thebanus tum in alijs rebus magnificus deprehensus est, & contemptor omnium quæ uulgo admirationi erant: tum præsertim pecuniarum, & patriæ. Quòd igitur suas facultates Thebanis tradiderit, id in omnes emanauit. Alterum, uero factum eius non omnibus notum est, hoc uidelicet. Relinquens Thebas, quas antea inhabitaueraat. Non opus est, inquit, mihi ciuitate, quam Alexander uel alias subuersurus sit.

De calumnia populi.

Demochares, nepos Demosthenis, significare uolens, se nihil pendere obtrectationes uulgi, cum uiderer multos obtrectatores unà sedentes in tonstrina, & malè loquendi omnino cupidos: Quid loquimini, inquit, uos Dysmenidæ: simul hoc nomine ingenium naturamq; ipsorum innuens, & detegens.

Quòd Phrynicus propter poemam quoddam in ducem electus sit.

Phrynicum Athenienses bellī ducē creauerūt, neq; propter facta, neq; propter generis claritudinē, neq; uero quòd diues locuplesq; eſet. Sepe enim adhes

ad hæc animos Athenienses, oculosq; retulerunt,
 ex eos alijs in eligendo præposuerunt. Sed cum
 Pyrrhichistis in quadam tragœdia conuenientes
 ex bellicos modulos fecisset, adeò tenuit uniuersum
 theatrum, ex præsentium animos cepit, ut confe-
 stim eum ducem eligerent, arbitrantes eum bellicis
 rebus cum utilitate præfuturum esse, qui à uiris ar-
 matis non abhorrentia carmina poemataq; in dra-
 mate confecisset.

De amore.

*Quis cum amatore, qui ipse non amet, quum
 pugna committenda, ferroq; de rebus decernendū
 est, manus conserat? Nam expers amoris fugit ex
 declinat semper amatorem, tanquam profanus,
 nec percitus numine: tantumq; audet, quantum ex
 animo ualet, ex corporis robore pollet. Extimes-
 cit autem illum alterum, quasi diuino furore cor-
 reptum: ex non solum à Marte, quod quidem com-
 mune est, uerùm etiam ab amore concitatum. Nam
 qui solum ab altero horum deorum sunt inflamma-
 ti, quorum unum perinde ac Martem Homerus di-
 cit grassari, cum unum solum numen habeant, re-
 cete beneq; pugnant tantum, quantum animi potest
 unum per se numen suppeditare. Amoris uero mi-
 nistri pugnantes, ex mauortio impetus, ex amoris
 ardore stimulati, cum duplarem cultum ac numerum
 sustineant, non iniuria(ut sentiunt Cretæ)dupli-
 ter*

ter quoque facinora faciunt. Non igitur eū qui ex Marte & Amore simul occidit, quisquam reprehendet, si armatus eius uim non possit reprimere, solum ab uno deo pugnans, non à duobus.

De Lacedæmoniorum amatori- bus & amasijs.

De Lacedæmoniorum Ephoris, cum habeant multa præclare facta dictaq; recensere, in præsen- tiarum ea dicam tantum, que proposui. Cum quidam apud eos forma præstans, in amorem sui per traxisset hominem locupletem, eo quod ipse pauper esset, irrogarunt illi pecuniariam multam, plectentes, ut apparet, pecuniarum illicitam cupi- ditatem, ablatione pecuniae. Alium quendam for- mosum ac bonum virum, quod neminem amaret ex his quæ detiores essent, poena afficerunt: quod cum bonus esset, neminem amaret. Similem enim sui potuisse amasum reddere, forsitan etiam aliud. Nam amatorum benevolentia, plurimum ualet apud amasios ad uirtutem colendam, si moderati sint ipsi, & honesti. Est etiam eiusmodi lex apud Lacedæmonios, si quis adolescentis in delicijs habitus peccasset, concedebant aut morum simplicitati, aut æ- tati iuuenili: amatorem uero eius poenas luere cogebant, uolentes arbitros eos & inspectores esse omnia quæ isti facerent.

e De

De anima.

Peripatetici dicunt animam interdiu corpori seruitum præbere, et in uolui, neq; pure ueritatem perspicere posse. Noctu uero, libera tam à ministerio corporis, et in orbem iuxta thoracem redacta, magis ad prauidenda futura idoneam esse, unde existunt insomnia.

De amoris ratione apud Lacedæmonios.

Apud Lacedæmonios, qui honesta liberalijs forma prædicti sunt, non gerunt sese delicate erga amatores, neq; nimis arroganter. Siquidem hi diversum à reliquis faciunt adolescentibus formosis. Nam ab amatoribus petunt ut sese ament. Lacedæmoniorum autem ea vox est, oportere amare dicens, Spartiata et amor nihil turpe nouerunt. Siue enim adolescentis ausus sit stuprū pati, siue amator inferre, neutrum pretermitti Sparte utile fuisse. Aut enim è patria discessissent: aut quod gratus est, è uita.

De uinolentia Tapyrorum.

Adeò dedita uino est gens Tapyrorum, ut in uino uiuat, et plurimum uitæ tempus in id insumat: neq; solum eo ad potandum abutitur, uerum etiam ad ungendum, quemadmodum ceteri oleo-

De uinolentia Byzantiorum.

Byzantij

Byzantij uero, quoniam proclives et propensi sunt ad uinum, relictis suis aedibus et domibus, perigrinis eas mercede locant, et transmigrant in cauponas, ut fama est. Neque solum haec, sed etiam uxores illis relinquunt. Itaque duorum criminum calumnia eodem facto se implicant Byzantij, temulenta et prostitutionis. Quoniam uero ebrietate uitiose diffluunt, delectantur tibiarum sono, et tubis maxime uacant. At tubae fremitum primo auditu etiam non sustinent. Ex quibus liquet, quod ab armis belloque gerant alienissimos animos Byzantij. Propter hanc causam Leonides dux militaris ipsorum in acerrima urbis oppugnatione, cum hostes moenia adorirentur, et illi relictis excubijs totos dies in consuetis diuersorijs tererent, mandauit ut cauponae ipsis in moenia transferrerentur. quod sophistate sero tandem eis persuasit, ut aciem ne desererent, cum praetextus et causa, quamobrem abiarent, non esset. Haec affirmat de ipsis Dæmon. His astipulari uidetur Menaider cum dicit, Vini uenitos negotiatores facit Byzantium, totam noctem perpotat.

De Argiuorum, Corinthiorum, Thracum, Illyricorum uinolitate.

Argiū etiam et Corinθiū in comedijis taxatis sunt,

ti sunt, sine modo, uina bibisse. De Thracibus iam confirmatus constansq; rumor est, plurimum eos bibendo posse. Neq; uero Illyrij carent hoc tempore tali criminis, qui hanc etiam calumniam adiecerunt, quod in coniuicio peregrinis & hospitibus permittitur, ut unusquisq; mulieribus propinet si libeat, etiamsi foemine nibil ad se pertineant.

Comparatio Demetrij & Timothei ducum.

Vter uero præstantior dux fuit, Demetrius Poliorcetes, an Timotheus Atheniensis? Ego mores & ingenium utriusq; explicabo. Vobis autem deinde præferre alterum licebit. Demetrius per uincula, atq; auaritiam, perturbansq; multos & iniuriam inferens, ciuitates subigebat admotis machinis, concisis & suffosis moenibus. Timotheus uero persuadens uerbis, & oratione docens utilius esse, ut Atheniensium dicto audientes essent, eadem haec quæ ille perfecit.

Quod philosophia ab administranda repub, non sit aliena, & quod ex philosophis quidam rem publicam gubernarint.

Ex philosophis etiam aliqui ad gubernacula rerum publicarum sederunt: aliqui uero hoc solo contenti, quod animum virtutibus excoluisserint, quietam

quietam uitam traduxerunt. Corregerunt enim et constituerunt respublicas Zaleucus Locrensis, Charondas Cataneum, item Reginensium, cum in exilium electus esset e Catana. Tarentinis prae fuit Archytas, Solon Atheniensibus, Bias et Thales in Ioniam adiumenta maxima importarunt. Chilon iuuit Lacedæmonios, Mityleneos uero Pitacius, Rhodios Cleobulus, et Anaximandrus coloniam Mileto Apolloniam deduxit. Xenophon etiam bellicis laudibus floruit, et optimus dux iudicatus est inter eos qui uniuersitate cum Cyro ascenderat, tum cum Cyrus et multi alij cum ipso occubuerint. Nam cum necessitas postularet aliquem qui posset servare Græcos, et incolumes domum reducere, hoc negotium illi datum est. Plato uero Aristonis filius Dionem reduxit in Siciliam: et consilium modumque docuit, quo tyrannidem Dionysij subuerteret, ac nullo negotio dissolueret. At Socrates nullam sibi curam de Atheniensium republica suscepit, quod uideret Atheniensium democratiam summiorem esse tyrannidi et Monarchie. Proinde neque suffragio suo decem duces morti adiudicauit, neque triginta tyrannis quicquam communicauit, in illorum nefarijs sceleribus. Cum autem pro patria decertandum esset, tunc sine recusatione militem agebat. Geffit autem arma contra Delum, Amphiopolum, et Potideam. Aristoteles patriam suam

non in genua (quod dicitur) procidentem, sed in os prostratam erexit atque restituit. Demetrius Phalereus, summa cum dignitate rem publicā Atheniensium rex, donec eum Atheniensibus consueta solitaque inuidia eleoit: sed in Aegypto etiam apud Ptolomaeum regem in rogandis ferendisque legibus primas tenebat. Quis uero inficias iuerit, Periclem Xantippi filium philosophie precepta calluisse, & Epaminondam filium Polymnidis, & Phocionem filium Phoci, et Aristidem Lysimachi, & Ephialtem Sophonida, & post hos intericto tempore Carneadem & Cratolaum: quoniam Romani quoque misi sunt pro Atheniensibus legati, & pacem impetraverunt, qui tanta grauitate dicendi sentatum perpulerunt, ut diceret, Miserunt Athenenses legatos ut nos persuaderent, sed enim qui convergent nos facere quod ipsis collibitum esset. Ego uero illud etiam Persaei, in administratione reipublicae habeo, quod Antiochum erudiuit: ex illud Aristotelis, qui ipse quoque iuuenem adhuc Alexandru philosophie preceptis imbuit. Et Lysias, Pythagorae discipulus, Epammondam instituit. Si quis igitur nihil rerum agere philosophos dicit, inconsiderate facit, & stulte. Nam ego ipsorum otium & solitudinis studium, libentissimo animo amplecterer.

De

De consuetudine Midæ Phrygis & Sileni, & de ijs quæ ab hoc incre- dibiliter dicta sunt.

Narrat Theopompos, familiaritatem quan-
dam inter Mydam Phrygem & Silenum interces-
isse. Hic Silenus erat Nymphæ filius, ex diis quidē
conditione inferiore, mortalibus uero, morteq; su-
periori. Hi tum alia multa sunt inter se collocuti,
tum hec Silenus aliquando Midæ retulit, Europā,
Asiam ex Libyam insulas esse, quas circumcirca
Oceanus circumfluat. Continentem uero unam ex-
tra hunc mundum existere, ex magnitudinem ip-
sius infinitam ex immensam esse narrabat: alere
duersa animalia grandia, ex homines qui eam in-
habitant duplo maiores esse nobis: neq; tantū tem-
poris spacium ad uiuendum illis sufficere, quātum
nobis: sed etiam illud duplum, ex multis magnasq;
ciuitates atq; uiuendi rationes, ex leges apud eas
plane nostris contrarias esse constitutas. Duas ur-
bes esse magnitudine maximas dixit, nihil uero si-
bi mutuo similes: quarū altera dicatur Machimus,
id est pugnax: altera Eutoborr id est pia. Pios igitur
in pace uitam agere, ex amplissimis opibus, fructū
ex terra capere sine aratis ex bobus, agricultus
ra seminationeq; nihil eis opus esse. Et ut ille retu-
lit, à morbis immunes sunt, atq; suū tempus in sua-

• 4 • uißimo

uissimo risu et uoluptate consumunt. Adeo uero sine controuersia iustitiam colunt, ut persepe dij quoq; immortales non dedignantur illorum uti commercio. Qui uero Machimū urbem incolunt, bellis coiffissimi sunt, et arma induit semper bella gerunt, finitimosq; in suam potestatem redigunt: atq; hæc una ciuitas in plurimas gentes imperium tenet. Ciues in ea sunt non pauciores ducentis myriadibus. Moriuntur alias ægrotantes, quod perraro accidit. Siquidem in bellis plerung; lapidibus aut fuste percutiuntur. nam ferro non possunt vulnerari. Auri argentiq; maximam copiam possident, ita ut minoris apud ipsos estimetur aurum, quam apud nos ferrum. Eos quodam tempore conatos etiam fuisse in has nostras insulas transire, dixit: et tracto oceano mille myriadas hominum usq; ad Hyberboreos peruenisse: cumq; audiuerissent hos populos internostrates esse religionis obseruatisimos, contempsisse tanquam prauos, maleq; se se gerentes in faciendo, et idcirco indignum duxisse progressi ulterius. Hoc etiam adiecit multo mirabilis, homines aliquos nomine Meropes in illis locis, multas magnasq; ciuitates habitare. In finibus autem regionis illorum locum esse et nominari Angustum, id est, sine redditu, seu unde non est redditus, si millem uoragini et hiatui: neq; uero tenebris, neq; lumine distinctum, sed aerem impendere obscuro quodam

quodam rubore permixtum. In eo loco duos fluios labi, alterum uoluptatis, alterum tristitiae; ex ad utrumque arbores sitas esse, magnitudine platani magna. Quae ad flumen tristitiae sunt, eiusdem naturae ac potestatis fructus producere: si quis ijs uescatur, cum tantum eijcere lacrymarū, ut per universæ uitæ reliquum tempus, fletibus luctibusq; diffluat, et sic uitam finiat. Alteras uero, que fluuios uoluptatis agnascuntur, fructum contrarium ferre: qui enim hunc gustat, ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur: et si quem amauit, in eius obliuionem uenit, paulatimq; fit iunior, atq; precedentem etatem et iam transactam retro agit ac resumit, abiecta senectute ad uigorem etatis reueritur, deinde adolescentiam induit, tum pueritiam, postremo fit infans, et sic deniq; expirat. Hæc, si cui fide dignus uidetur Chius, credat. Mihi egregius fabulator tum in his, tum in alijs uidetur.

De dissidio Aristotelis à Platone.

Primum dissidium Aristotelis aduersus Platonem ex his ferunt initium cepisse. Non probabat eius uitam Plato, neque corporis habitum et ornatum. Nam Aristoteles uestibus et calceamentis magnificis utebatur, et contra Platonis morē crines abradebat, annulisq; ferendis se exornabat, uultu cauillationem et irrisiōnem quandam præferebat. Et intempestiuā loquacitas in sermone, inge-

e s nium

xiuns eius moresq; redarguebat. Hec omnia philosopho indigna esse manifestum est. Quæ cum uidet Plato, non admittebat hominem, sed ei proponebat Xenocratem, Speusippum, Amyclam, et alios, quos tum alijs honoribus prosequebatur, tum disputationum suarum participes esse patiebatur. Cum uero quodam tempore Xenocrates in patriam iter suscepisset, Aristoteles cum suorum discipulorum ceterua, inter quos erat Mnason Phocësis, et alij, Platone impugnabat de industria. Laborabat tunc ex morbo Speusippus: quamobrem Platoni adesse non poterat. Plato octuagesimum annum agebat, ita ut iam propter etatem destitueretur memoriae viribus. Intendens igitur in eum, et adorans ex insidijs Aristotelis, magnaq; cum ambitione questiones necens, ac sophistice cum redarguens, injurium simul et ingratum sese prebebat. Proinde desistens exteriore deambulatione, domi cum familiaribus priuatim ibat. Exatis tribus mensibus Xenocrates à peregrinatione reuersus, inuenit Aristotelem deambulante, et documentem ubi reliquerat abiens Platonem. Videns autem eum cū familiaribus suis non ad Platonē comedare, sed aliò in ciuitatē seorsim ex auditorio uestigia ferre, interrogabat quendam in Peripato, ubi nam esset Plato, existimans eum decumbere. At ille respondit; Non male habet, sed Aristoteles ei molestiam

lestia sacerdens, effecit ut ē Peripato discesserit, ex in horto domi philosophiā tractet. His auditis Xenocrates repente se ad Platonē contulit, et offendit eum differentem cum his qui simul aderant. Erant autē frequentissimi, et summae existimationis viri, et adolescentes aliqui illustrissimae famae. Qui cum loquendi finē fecisset, perhumaniter pro more solito Xenocratem salutauit, rursumq; illū similiter Xenocrates. Deinde conuersatione dimissa, Xenocrates nullum uerbū hac de re cū Platone locutus, neq; audiens, collectis suis commilitonibus uehementer obiurgauit Speusippū, quod Aristoteli ceſſisset ex Peripato, et ipse quām potuit instructissimis virib; contra Aristotelem pugnauit: eoq; contentionis progressus est, ut eum ejceret, et in consuetum locum Platonem restitueret.

De Lysandro, & allatis ei munerib;

Lysandro Spartiate in Ioniā proficiscenti, hospites quos habebat in Ionia, cum alijs multis, etiam bouem ex placentā dono miserunt. Qui placentam contemplatus rogabat, quid nam illud cui pediarum esset. Cui cum is qui attulerat, responderet, ex melle caseo alijsq; quibusdā confectionum esse: Sed hoc, inquit Lysander, ijs date qui nouerunt. Non enim hic est liberi ex ingenui hominis cibus. Bouem uero patrio ritu mactandum apparandumq; curauit, quem cum uoluptate comedit.

De magnanimitate Themistocles.

Puer adhuc Themistocles quodam tempore ē ludo literario redibat: quem cum pædagogus ob uio Pisistrato, de uia decedere tyranno iussisset, plane regiē libereq; respondit: Nunquid hæc uia non ei sufficit? Adeo quiddam ingenuum ex magnificum ex eo in Themistocle refulsi.

De pietate Aeneæ, & Græcorū misericordia in Troianos.

Cum iam captum eſſet Ilium, Achii miserati captiuorū erumnas, omnino Græcē hoc per præconem denunciarunt, ut singuli ex liberis ciuibus, quod uellent unum aliquod, secum auferrent. Aeneas igitur cæteris neglectis, deos penates explorabat. Græci pietatem uiri summo cum gaudio sufficientes, permiserunt insuper unum ex suis possessionibus accipere. ille patrem annis ex senio confectum, sublatum in humeros portabat. Obstupescentes etiam hoc facto non mediocriter, uniuersas possessiones ei reliquerunt: confitentes, eos qui pietatem in homines, ex deos excercent, quiq; parentes reuerenter colunt, etiam natura inimicos non posse non aequos ex placatos se præbere.

De Alexandro.

Præclara ex laudabilia sunt Alexandri opera.

ad

ad Granicum ex Issum perpetrata. Pugna ad Arbelos commissa, Darius captus, Persae subiecti Macedonibus, Asia tota subacta, Indi Alexandro subditi. Laudanda etiam quæ ad Tyrum ex ira Oxydaciis gefuit, ex alia multa. Quid enim hic uerborum angustia complecti tam latè patentem eius hominis fortitudinem conamur? Siue etiam fortunana quis inuidus ex obtrectator, quæ adhaeserit Alejandro, uelit appellare. Sit sane. Attamen hoc in eo laudabile ex preclarum est, quod fortunæ non succubuit, neque eius erga se benevolentia ex propitiudine destitutus est. Verum illa non sunt amplius laudanda in Alejandro, quod cum quinta die mensis, ut fama est, perpotasset apud Eumeum, deinde sexta crapulam edormierit, neque plus illo die uixerit, quam ut sargeret, et ducibus de crastina profectione mandata daret, inquiens eam summo mane futuram. Septima deinde die epulatus est apud Perdiccam, qua se rursus uino ingurgitauit, ex octaua dormiuit. Et decimoquinto die eiusdem mensis, iterum indulxit uino, ex sequenti solito more crapulam somno decoxit. Vigefimoquarto coenauit apud Bagoam. Distabat à regia Bagoæ dominis stadijs decem, post tertio dormiuit. Ex duobus igitur alterū sit oportet: aut quod Alexander magno nōumento sibi fuerit, tot diebus potando consumptis: aut quod qui haec tradiderunt, mendacia dixerint.

dixerint. Ex quibus colligi potest, eos in reliquo
stidē à ueritate deflectere, in quibus Cardianus illa-
tion postremum locum obtinet.

De Xenophontis pulchritudi- nis amore.

Xenophonti tum alia honesta bonaq; curae
fuerunt, tum ut haberet arma pulchra et expos-
ita. Aiebat enim, si uicisset, elegantissima quoque
se stola ab hostibus iridatum iri: et si uitam amita-
tat in prælio, cum quedam decore iacere in gra-
matura splendida. Nam hanc esse strenuo et forti-
ti uiro monumentum, quod reuera ipsum orna-
ret. Dicitur igitur habuisse scutum Argolicum,
thoracem Atticum, galeam Berotico artificio fa-
ctam, equum Epidaurium: que sane non aliter
ego dixerim, quam arguere uirum elegantiae stu-
diosum, seq; dignum his que pulchra sunt, in-
dicantem.

De Leonida, & triginta, qui ultro pro salute totius Græciae, se morti obtule- runt.

Leonides Lacedæmonius, et una cum ipso
triginta uiri, ad Pylas mortem uaticinio fibi de-
nunciatam obierunt. Et pro defensione Græciae
rite strenueq; pugnam facientes, gloriosum feci-
tum

item sortiti sunt, ac perpetuam sibi gloriam et na-
men clarissimum reliquerunt.

De Pindaro tyranno.

Pindarus Melanis filius, Alyatti uero Lydi ex
filia nepos, suscepta Ephesiorum tyrannide, in sup-
plicijs sumendis asperum et inexorabilem se pra-
buit, in reliquis benignus ac sapiens uisus est: ma-
gnamq; curam adhibuit, ne in Barbarorum serui-
tutem patria redigeretur. Hec ita se habere, illo fa-
cto declarauit. Cum enim Croesus ipsius auunculus
ex matre totam Ioniam subegisset, legationem ad
Pindarum misit, Ephesios in suam potestatem
tradi postulans. At cum non permitteret, Croe-
sus urbem obsidione cinxit. Cum autem turris
quædam subuersa cecidisset, quæ in posterum pro-
ditrix appellata est, et præ oculis damnum cerne-
ret, consilium dedit Ephesijs Pindarus, ut ex por-
tis et turrib. funes ad columnas templi Veneris alli-
garēt, ac urbē quasi anathema Veneri esse finerēt:
per hæc securitatem Epheso prestans. et suasit, ut
ipsi Lydum adirent, ac pacē expeterēt. Exponen-
tibus igitur preces Ephesijs, risisse Croesum aiunt,
neq; moleste hoc industrium factū accepisse, et E-
phesijs concessisse libertatem, sed ea conditione atq;
lege, ut Pindarus ciuitate excederet. Qui nihil con-
tradixit: amicis, qui secum discedere uellent, assum-
ptis, filium et uniuersas substantias ciuitati cōmisit:

et uia

et uni ex familiaribus Pasicli tum filij tutela, tum honorū cura delegata discessit in Peloponnesum, regium uiuendi splendorem cum spontaneo exilio commutans, ut ne patria sub iugum Lydorunus mitteretur.

De Platonis paupertate, & quomodo ad philosophiæ studiū accesserit.

Hoc etiam audiui, an uerum sit, nescio. Quod igitur audiui, illud est. Plato filius Aristonis, afflitus paupertate, proficisci in militiam instituit. At deprehensus à Socrate, *et edocitus*, quæ par erat, uenidit arma, *et animum* mutauit, atque suasit Socratis ad philosophiam sese contulit.

Quomodo Socrates fastum Alcibiadis retuderit.

Socrates cum uideret Alcibiadens ob diuitias elatum animum gerere, *et* ob agrorum multitudinem superbire, adduxit ad locū in quo tabula quedam ambitum terræ complectens suspensa erat, *et* eum rogauit ut Atticam ibi requireret. Quam cū inuenisset, suos fundos eum iussit ostendere: *et* cū responderet, nusquam ibi pictos esse. Horū, inquit, possessione te effers, qui nulla pars sunt terre.

De Diogenis mendicitate & fastu.

Diogenes

Diogenes Sinopensis de seipso dicere solitus est, se implere ex ferre tragicas execrationes. Nam errorum se esse, domo et patria carere, mendacium agere, tenui uestitu uti, et in diem uiuere. Ni bilominus tamen in his sibi non minus placebat, quam Alexander in terrarum orbis imperio, cum subactis Indis in Babylonem reueteretur.

De quibusdam modestis & continentibus.

Amoebeas citharoedus maxima continentia predictus fuisse dicitur. cumque uenustissimam uxorem haberet, non cum ea coiuisset. Item Dionysius tragicus histrio. Clitomachus uero pancratiastes, si quando canes uidebat coeuntes, se auertit. Et in conuiuijs si de rebus uenereis sermo incidisset, continuo surgens discessit.

De Niciæ diligentia, quam in artem suam contulit.

Nicias pictor, tantam diligentiam ad pingendum adhibuit, ut se per numero intentus arti, cibum sumere obliuisceretur.

De Alexandro & Hercule citharam pulsare dissentibus.

Alexander Philippi filius, puer adhuc, cum nonnullum ad puberem etatem peruenisset, citharam didicit pulsare, magistro iubente chordam quam

f
dame

dam tangere modulis conuenientem, et quam pos-
tulabat artis ratio. Et quid interest, inquit, etiam si
hanc pulsauero: in aliam digitum intendens. Qui
respondit: Nihil interesse tuum regis, sed non eodem
modo nihil interesse futuri cithareedi. Timuit
autem hic ne si non commode eum institueret, idem
sibi eueniret quod Lino. Nam Herculem puerum
adhuc Linus fidibus canere docuit. Verum eum tam
peritus instrumentum tangeret, increpauit eum
Linus. At Hercules incensus ira, plectro Linum
percussum interfecit.

De Satyro fistulatore.

*Satyrus fistulicen persepe Arstonis philoso-
phi disputationibus intererat, et his que diceren-
tur mirè affectus aiebat: Cur ego non igni trado hoc
nihil utile telū? Subobscure referens tibiā, et quo-
dammodo suam artē ad philosophiae studium com-
paratam extenuans, et nihili aestimans.*

Lex Romanis & Lacedæmonijs communis.

*Lacedæmonijs iuxta et Romanis lex erat, ne
cui licitū esset coenare, quæ uel quando ipsi liberet.
Nam cum per alia ciues ad temperantiam reuocare
uoluerunt, tum non minime per rationem mensæ.*

Quod in Academia ridere non licebat.

Fama

Fama etiam illa percrebuit Attica, que refert, ne ridendi quidem potestatem in Academia prius fuisse. Nam ab iniuria & ignavia purum & incessum hunc locum servare conabantur.

Cur Aristoteles reliquerit Athenas.

Aristoteles cum iudiciorū metu Athenis pro fugisset, interroganti cuidam, qualis esset ciuitas Atheniensium: respondit: Pulcherrima, sed in ea pyrus super pyrum, & ficus super ficum consenescit. sycophantas intelligens. Et interroganti, cur reliquisset Athenas: respondit, quoniā noluisset cōmitere, ut Athenienses bis peccaret in philosophiam: obscure Socratis mortē innuens, et suū periculum.

Lex Ceorum de senibus.

Consuetudo est apud Ceos, ut ij qui senio planē consecuti sunt, tanquam ad conuiuum se mutuo inuitent, aut ad quoddam solenne sacrificium conuentant, & coronati cicutā bibant: cum sibi ipsis conscientiā sunt, se ad promouenda cōmoda patriæ inutiles amplius esse, animo tā ob etatē delirare incipiente.

Quēdam Athenis primum inuenta.

Athenis diunt primum repartam esse oliuā & ficum, quae primū etiā terra protulit. Item pœnas dare & repetere, primi Athenienses instituerunt. Et certamen corporum primi inuenierunt, et exuerunt se, unixeruntq; et equos primus Erichthonius iunxit.

f 2 Quid

Quid olim quidam comederint.

Arcades glandes, Arguii apios, Athenienses ficus. Tirynthij uero sylvestria pyra comederunt, Indi arundines, Carmani palmas, Maeotae et Sauromates militum, Perse terebinthum et nasturtium.

De Satyris, Tityris, & Silenis.

Comites Bacchi fuerunt Satyri, quos nonnulli Tityros appellant. Hoc nomen habuerunt a teretismatis, hoc est, lascivis et procacibus saltationibus, quibus gaudent Satyri. Satyri uero dicti sunt, ab oris rectu. Sileni uero, επω τοῦ συλλαξίνειν, quod est conuicijs proscindere. Nam conuiciatoria scemata iaciunt, cum molesto quodam lusu. Vestitus autem erat Silenis, tunicae utrinque uillose. Refert enim stola Bacchi plantationem, et uinearum palmitumque hirsutam densitatem.

Multa Bacchi cognomina.

Veteres uberum fructuum prouentum uerbo φλύειν significabat. Vnde Bacchum Phleonem appellauit, et Protrygam, et Staphylitam, et Onophracitan, et alijs multis diuersisq; uocabulis.

De quibusdam amentibus foeminiis.

Elegam et Celenam filias Pretri regina Cypris ad insaniam impulit, que in quibusdam Peloponnesi locis uise sunt nudae furentesq; discurrere.

Eruperunt

Eruperunt etiam in alias regiones Græcie, agitatae impulseq; isto morbo. Audio etiam Lacedæmoniorū foeminas cœstro Bacchico percitas fuisse, ex Chiorū. item Bozotorum mulieres, quasi diuino furore concitatæ insanierunt. Et tragœdia uociferaatur. Solas uero Minyades Leucippen, Aristippen, & Alcithoen, aiunt hanc choreā detrectasse ob eā causam, quod maritos ambirent. nā idcirco bacchari in honorē dei noluerunt. Qui excanduit, et cum ille telis operam nauarent, atq; opificio lanæ summo cum studio incumberent, confessim hedere raccemiq; in colibus serpserunt, in calathis dracones nidos posuerunt, ex à summis penfis lactis uiniq; stillæ demanarunt. Verum cū ne his quidem rebus ad cultum dei adduci possent, tum inuasit eas furor, extra Cithæronem non leuior quam in Cithærone. Nam Leucippæ filium tenerum adhuc, et admodum iuuenem, Minyades furore imbutæ discerpserunt, hinnulum esse putantes, atq; inde ad prius commemoratas Minyadas pertraxerūt: que cum eas ob admissum scelus insequerentur, in aues sunt mutatae: ex una assumpsit formam cornicis, altera uespertilionis, tertia noctua.

De citharoedo à Sybaritis occiso.

Cum Sybare citharoedus caneret in certami^s
f 3 ne,

ne, quod in honorem Iunonis erat institutum, inter Sybaritas propter eū est orta contentio. cumq; mu tuō ad arma uenirent, citharœdus cum ipsa stola confugit ad arā Iunonis. At illi ne in isto loco quidem manus à citharœdo abstinuerunt. Paulo uero pōst sanguis uidebatur in Iunonis templo scaturire, non secus quam ex perenni fonte. Sybaritæ cum oraculum Delphicum consultum misissent, tale response acceperunt:

Cede meis mensis, manibus nam sanguis adhaerens,
Destillansq; recens, prohibet tibi limina templi.
Non tibi fata canam: magnæ Iunonis ad aram,
Musarum innocuum strauisti cæde ministrum.
Non immortales hoc dij patientur inultum.
Si quis enim prudens, scelerata ē mente proiectum
Comittat facinus, graui hunc propè poena seque.
Non exorabit, neq; si genus ab Ioue summoetur.
Duceret: ipse suo collo, collisq; nepotum,
Hoc luet, & generi cumulatim damna ferentur.

Neq; ultio tardata est. Cum enim aduersam Crotoniatas bellum gererent, subacti sunt ab illis, & ciuitas eorum subuersa est.

De quodam qui poterat quidem socis auxilium ferre, non autem uolebat: & alio, qui uolebat succurrere, infeliciter autem cesserat.

Tres

Tres adolescentes eiusdem ciuitatis, iter Delphos ad consulendum oraculum facientes, in latrones incident. Vnus correpta fuga, declinat latrones. Alius uero, cum reliquis interfectis impetum faceret in superstitem sicarium, à latrone aberrauit, in solum ueroensem impulit. Ei igitur qui fuderat, tale responsum ab oraculo datum est:

**Occidi socium praesens es passus amicum,
Non tibi uaticinor, sacro te proripe templo.**

Et alteri consulenti, talia respondit Pythia:

**Defendens socium, uero mucrone necasti:
Purior es manibus nunc, quam prius esse solebas.**

Oraculum Philippo redditum.

Philippum in Boeotia ferunt in æde Trophonij responsum accepisse, ut caueret sibi à curru. Illum igitur metu oraculi, nunquam ascendere curru uoluisse perhibent. Hinc iam duplex fama euulgata est. Nam alij dicunt, Pausanæ gladiū, quo Philippum peremit, in capulo currum ex ebore sculptum habuisse. Alij uero, cum circuiret Thebaicam paludem, cui Currus nomen erat, trucidatum esse. Atq; prior sermo vulgaris est, posterior uero non ita infrequentia fabula.

Lex Stagitarum.

Stagitarū hæc est lex, planè eiusmodi ut Graecam agnoscere possis: **Quod nō deposuisti, inquit, ne tollas.**

De Timotheo, & alijs, quibus sua
virtus non profuit.

Timotheum primū quidem laudibus Athenienses extulerunt. postquam uero delinquere pectoris uisus est, nihil eum iuuit pristina uirtus, neque res antea gestae. Ad Themistocle uero nullum omnino rediit emolumētū, neque ex nauali pugna quam circa Salaminē fecit, neque ex legatione quam Spartam obiuit, cum Atheniensium munitionem occultaret. Exulauit enim ille non solum ex Atheniensium urbe, uerum etiam tota Grecia. Et Pausaniae Lacedæmonio nihil adiumenti attulit Platæensis uictoria, quo minus cum Byzantij nouas res moliretur, et Persico morbo laboraret, etiam eum fauorem, quem ex anteactis sibi conciliarat, amitteret. Phocyonem uero preconium illud bonitatis et iustitiae non eripuit, quo minus cum iam septuagesimumquintum annum ageret, neque uel minimam iniuriam Atheniensibus intulisset (quoniam ita uisum esset Antipatro, qui Pireum prodere uellet) capitis ab Atheniensibus damnaretur.

AE LI ANI

AELIANI VARIAE HI-
storiarum Liber quartus,

Gentium & populorum di-
uersi mores,

Leucaenorum quædam lex sic habet. Si sub occasum solis uenerit peregrinus, uolueritq; sub tectum alicuius diuertere, et is hominem non suscepit, multetur, et poenas luat inhospitalitas: ut mihi quidem uidetur, et uenienti, et ioui hospitali.

Dardanenses Illyrides ter solummodo per universam uitam audio lauari consueuisse, post partum, cum nuptias ineunt, et cum morte obierunt.

Indi ad usuram pecuniam non locant, neque accipiunt. Sed neque fas est, hominem Indum aut iniuriam inferre, aut pati. Proinde neque syngrapham, aut depositum faciunt.

Lex erat Sardoa, ut filij patres iam senio confertos fustibus cederent, et interemptos sepelirent: absurdum arbitrantes esse, si delirus senex ulterius in uiuis agat, eo quod sepiissime in fraudem peccatumq; impellatur corpus senectute grandea maceratum. Apud eosdem eiusmodi lex erat. Poenas ignauiae et socordiae constituebant: et qui otiosè uiueret, eum rationem reddere oportebat, et unde uiueret ostendere.

f s Affyrii

Affyrii virgines suas coniugio maturas in una ciuitatem aliquam conducunt, atq; uenum proposunt. Et quam quisq; emerit, eam sponsam abducit.

Bibij in via, si inciderunt in aliquid, nihil tollunt quod non reposuerunt. Non enim hoc inuentum, sed furtum arbitrantur esse.

Bericcae omnes septuagesimum annum egresos, interficiunt: uiros mactando, mulieres uero strangulando.

Colchi mortuos suos in pellibus sepeliunt, et infutos ex arboribus suspendunt.

Lydis moris erat, ut mulieres, antequam cum maritis concamberent, corpus prostituerent. Cum autem semel laxatae fuissent, deinde omni tempore continentes essent. Quae uero postea cum alio rem habuisset ea sine uenia ex misericordia plectebatur.

De Nicostrati citharistæ dissidio cum Laodoco citharoedo.

Rumor quidam circumfertur, Nicostratum citharistam cum ob artem musicam disideret à Laodoco citharoedo, dixisse, illum in magna arte exiguum esse, se uero in exigua magnum. Non igitur solum laudabile, est rem familiarem et opes amplificare sed, etiam artem, si Nicostratum recte ex bene hoc consulentem audire uolumus.

De

De Polygnoto & Dionysio pictoribus.

Polygnotus Thasius et Dionysius Colophonius, duo pictores erant. Et Polygnotus iam magna pingebat, atq; in perfectis certamina subibat. Dionysij uero picturæ, preter magnitudinem continebant exquisitissimam Polygnoti artis imitationem affectus, motus, formæ habitudinem, uestium subtilitates, et reliqua.

Lex Thebana de artificibus & pictoribus.

Audio legem fuisse Thebis, præcipientem artificibus, tum pictoribus, tum figulis, ut imaginum formas quoad possent optimè exprimerent. Iis autem omnibus qui deterius aut finxissent, aut pinxissent, pro poena multam pecuniariam irrogarem.

Qui beneficiorum memores fuerint.

Beneficia in memoria habuerūt et gratiā propijs reposuerunt: Theseus Herculī. cum enim Aedo neus rex Molosserū Theseū in unicula coniecisset, quando uenerat cū Pirithoo ad rapiendā regis coniugem, nō ut sibi nuptias pararet, sed in gratiā Pisithoi illud faciens, Hercules profectus ad Molosseros, eum liberavit: ob quam causam Theseus aram in honorem illius erexit. Et septem illi ad Thebas

Pronati

Pronacti gratiam pro officio reposuerunt. Cum enim ipsorum causa perijset Pronax, in honorem illius ludos instituerunt, quos multi putant Archemoro duci consecratos fuisse. Et Hercules beneficium rependit Nestori. Cum enim Neleus eum hospitio recipere nollet, omnesque ceteri filii pedibus in paratis sententiam irent, solus Nestor non consensit. Quamobrem etiam capta ciuitate Neleum una cum reliquis filiis interemit. Nestori uero non solum peperit, uerum etiam auitum ei regnum gubernandum tradidit. Vnde etiam Athenienses publice gratiam posteris Herculis retulerunt: quoniam enim stirpis illorum autor de Theseo bene meritus fuerat, idcirco deduxerunt eos Athenienses in Peloponnesum. Hercules etiam Cleonensibus illis trecentis et sexaginta, gratiam reddidit: qui cum eum in expugnatis latronibus adiuuissent, et fortiter honestaque cedissent, in ipsos honorem transtulit, quem sibi Neomeenses deferebant, cum leonem in illorum regione uersantem, et omnium opera disperdentem desbellassent. Item Menestheus Peteoi filius non ingratuose preebuit aduersus Tyndaridas, qui electo Theseo, matreque eius Aethra captiuam ductam, regnum Menestheo tradiderunt, quamobrem primus eos Menestheus regum et saluatorum nomine salutauit. Darius etiam cum adhuc in priuatis uitam degens, uestem dono a Sylosonte accepisset, postquam impetravit

*perij compos effectus est, remuneratus est eum, po-
testate patriæ Sami ei concessa: aureis ferrea, si
precium spectes, commutans.*

Oraculum pro Atheniensibus.

*Cum Lacedæmonij uellent ciuitatem Atheni-
ensium funditus extirpare, consulto oraculo, re-
sponsum eiusmodi tulerunt: Communem aram Græ-
cia ne moueatis.*

**Quòd aliquando ne in morte qui-
dem requiem impetrent mali:**

& de Pausania.

*Ne in morte quidem scelerosis hominibus ali-
quid lucri propositum est, quoniam neq; tunc posse
sunt quiescere. Sed aut prorsus destituuntur sepul-
tura: aut quanquam sepeliātur, tamen supremum
bonorem ex communem omnium corporum por-
tum amittunt. Sic Pausaniam Lacedæmonij, cum
ad Medorum partes animum deflexisset, non so-
lum fame ad mortem adegerunt, sed insuper etiam
cadauer eius extra terminos eiecerunt, ut refert
Epitimedes.*

De fortunæ uicissitudine.

*Quis uero tam stupidus est, qui instabiles ex
repentinas fortuna commutationes ignoret? Sic
Lacedæmonij cum Thebanorum domini essent,
ad eo rursus ab illis fuerūt subacti, ut Thebani non
solum*

solum in Peloponnesum peruenirent, uerum etiam Eurotam transirent, et Lacedæmoniorum terram deuastarent. Et propemodam ciuitatem etiam ipsam cepissent, nisi ueritus esset Epaminondas, ne uniuersi Peloponnesij conſpiratione facta, pro Sparta dimicarent.

Dionysius tyrannus à Carthaginensibus intercepitus, cum nullam spem salutis restare uideret, plane animo conſternabatur, et pedum uitam meditabatur. Verum cum ex familiaribus quidam Hellipidas nomine diceret, O' Dionysi, quam speciosum sepulchrum est ipsa tyrannis: pudore suffusus animum recepit, et cum pauciſsimis multa millia superauit, ditionemque suam ampliorem effecit.

Amyntas Macedo, cum ab accolis finitimiſque Barbaris uictus, regnum perdidisset, statuebat apud animum suum regionem etiam in uniuersum relinquare, tantum ut uitam ſaluum et incoluum seruare posset. Dum in hiis anxius ageret, quidam ad eum dictum Hellipidae protulit. Itaque occupato illo loco, collectisque militibus, recuperauit imperium.

Ochum Aegyptij uernacula lingua asinum appellabant, inertem eius animum, imbecillitati animalis per uituperium comparantes. Quamobrem ipse Apin, ui abstractum immolauit asino:

Dion Hipparini filius in exilium missus à Dionysio cum bis mille militibus eum rursus expugnauit.

uit. Ita effecit, ut in quo statu ipse fuisset antea, in cum iam suæ calamitatis autorem detruderet.

Syracusij nouem triremibus inuidentes centum & uiginti triremes Carthaginiensium, longè superiores extiterunt.

De Platonis humilitate, & Aristotelis ingratitudine.

Plato filius Aristonis in Olympiade cum ignotis hominibus, ignotus etiam ipse contubernium instituit. Quorum animos ita sibi deuinciebat & demerebatur in conuersatione, frugaliter cum eis conuiuando, & totum diem commercium agitando, ut peregrini gauderent fibi talem uirum oblatum esse. Sed neq; Academiæ, neq; Socratis mentionem ullam fecit: solum hoc eis indicans, se Platonem appellari. Cum uero Athenas uentum esset, perhumaniter eos recepit Plato. Tum hospites: *Age monstra nobis, inquit, Platone tibi cognominem discipulum Socratis. Et duc nos in Academiâ eius, si teque nos coram hominè, ut etiam aliquā uoluptatē ab eo percipiamus. At ille clam subridens, quemadmodum solebat: Ego uero, inquit, ille sum. Quod cum audissent, obstupuerunt, quod ignoravsent se tanti uiri uti familiaritate, qui sine iactantia omni & fine doctrina secum esset conuersatus, & specimen dedisset: quod etiam sine consuetis philosophicisq; sermonibus, quorumuis benevolentia sibi conciliare posset.*

Plato

Plato nominare solebat Aristotelem mulum.
 Quid autē hoc sibi nomen uoluerat, ex eo liquet:
 Quod mulus cū saturatus est lacte materno, calcis
 bus petit matrē. Significabat igitur Plato, in uoluto
 quodam sermone, ingratitudinem Aristotelis. Ete-
 niam is cum maxima philosophiae semina & acce-
 sis à Platone accepisset, suffartus optimis quibusq;
 auersatus scholam contra Platonem aperuit, et in
 Peripato cum suis familiaribus & discipulis ad-
 uersus eum pugnauit, & Platonis aduersarius esse
 cupiebat.

Quo animo fuerit erga populum Athenensem Pericles.

An uero non summē populū Athenensem
 colebat Pericles, Xanthippi filius? Ego quidem ita
 credo. Quotiescunq; enim uerba facturus in con-
 cionem prodiret, optabat ut sibi nullum eiusmodi
 uerbum excidere, quod populum exasperare atq;
 irritare posset: aut quod illi contrarium esset, &
 cum ipsis uoluntate pugnare uideretur:

De Socratis delicijs.

Diogenes Socratem etiam ipsum deliciari so-
 litum diebat. Nam ad nullum usum necessarium
 comparauerat domicilium & lecticam, item cre-
 pidas, quibus aliquando solebat uti.

De imagine Helenæ à Zeuse picta. Zeufis

Zeusis Heracleotes, cum pinxitisset Helenam; magnū ex eo opere quæstum fecit. Non enim gratias, neq; quemuis obuium impudenter ad id contemplanendum admittebat, sed primum oportebat certam pecunie summam numerare, deinde potestas uidendi permittebatur. Quoniam igitur lucrum ex hac pictura ficeret Heracleotes, Græci qui eosculo uiuebant, Helenam illam scortum uocabant:

Epicuri sententia, & foelicitas.

Epicurus Gargettius dicebat, Cui pāucā nō sufficiunt, ei nihil satis est. Ille idem dicebat, se cum ioue etiam paratū esse de foelicite certare, si aquam habēret & offam. Cum hæc senserit Epicurus, quo animo uoluptatem laudauerit, aliás sciemus.

De pecuniarum parsimonia, & custodia.

Sepe pecunias quas multo cum labore quis unicatim uix comparserit, iuxta Archilochum, eas uniuersas semel in scorti marsupium effundit. Quemadmodum enim echinum, sic etiam numeros capere facilis est, retinere uero difficile. Et Anaxagoras in libro de Regno, inquit, magno cū negotio pecunias comportari, sed multo maiori operâ conseruari & custodiri.

De quibusdam qui in morbo musi-
cam & alia didicerunt, atq; vale-
tudinem bonam recu-
perauerunt.

Hieron Siciliæ tyrannus primum fuisse priua-
tus dicitur, ex omnium hominum à musica alic-
nißimus, ac rusticitate nihil inferior fratre Gelon-
ne. Verum cum aliquando in morbum incidisset,
factus est literatissimus, cum otium, quod ei cor-
poris imbecillitas imponebat, doctorum hominum
sermonibus audiendis tribueret. Conualeſcens igi-
tur ex aduersa ualitudine, frequenter audiebat Si-
monidem Coum, Pindarum Thebanum, ex Bac-
chylidem Iulietam. Gelon uero, indoctus homo
permansit.

Doctissimum etiam Ptolemeum secundum a-
iunt euafisse, cum egrotaret. Plato affirmat Thea-
gem nulla alia occasione philosophiae statuta co-
gnouisse, quam morbi otio. Nam cum is eum à ci-
uilibus rebus prohiberet, compulit ad sapientiae
studium ex amore. Quis autem sp̄iens non
imprecatus fuisse eiusmodi morbum Alcibiadi,
Critie, Pausanie Lacedemonio, ex reliquis? Al-
cibiadi ex Critie, ne fugientes à Socrate, alter So-
cratem iniurie lessisset, ex nunc Spartanorum,
nunc Bacotiorum partes souisset, nonnunquam
etiam

etiam Theſſalotum, Medorum & Perſarum, adha-
rēns Barnabazo: Critias uero truculentissimus eus-
ſisset, & infinitis cædibus manus suas polluifet,
qui multas calamitates intulit patriæ, & uitam
omnium odijs propofitam egit.

Straton etiam filius Corrhagi, utiliter & con-
mode ægrotasse uidetur: quoniam cum eſſet ex il-
lustri familia oriundus, & diuitijs abundaret, non
ante corporis exercitia usurpauit, quam ex ſple-
ne laborare coepit. Tunc enim cum remedium pen-
tere ex palestra & corporis exercitijs oporteret,
primum quidem ad recuperandam ualetudinem
ijs uſus est. Deinde uero cum proſectus in arte non
poenitendos feciſſet, & iam ſpecimen eius daret, in
ludi Olympicis una die uicit luctam & pancra-
tium, & ſequenti olympiade, & in Nemea, & in
Iſthmica, & in Pythica.

Democrates pugil etiam ipſe cum laboraret
ex pedibus, ad certamina uenit: & confiſtens in ſta-
dio, deſcripſit ſibi circum, & iubebat aduersari-
os, ut ſe expellerent extra lineam. At illi ui-
cti ſunt ab ægrotō: & ipſe cum bene & forti-
ter in ſtatione ſua perſtitijſſet, coroniā ſecum de-
portauit.

Veterum quorundam pro-
prietates.

g a Si quis

Si quis obsequatur Calliae, statim reddet eum temulentum Callias: si Ismenie, tibicinem: si Alcibiadi, iactatorem et superbum: si Crobylo, coquum: si Demostheni, eloquentia prestabilem: si Epaminondae, rei militaris peritum: si Agesilao, magnificum: si Phocioni, probum et bonum: si Aristidi, iustum: et si Socrati, sapientem.

De quibusdam Pythagorae mirabilibus, & opinionibus.

Pythagoras homines docuit, se prestantiorum seminum commixtione natum esse, quam quod mortalitati esset obnoxium. Nam eodem die, et eadens hora uisus est in Metopontio et Crotone. tum in olympiade, alterum femur aureum ostendit: et Milonem Crotoniatam admonuit, quod esset Mydas filius Gordij, Phryx: et aquilam albam, que sustinente ipsum, plumis nudauit. Transiens etiama fluuium Cosam, appellatus est a fluvio dicente, Salue Pythagora.

Dicebat etiam, sanctissimum esse folium malachae. Dicebat binarium numerum esse omnium sapientissimum, eo quod nomina rebus imponeret. Terramoto nullam aliam causam uel originem esse dicebat, quam conuentum mortuorum. Et iris, dicebat, quemadmodum terra Nili est. Et somnum qui persepe accidit auribus, esse meliorum. Non licebat

cebat autem in dubium vocare que ipse dixisset, neque ultra quicquam interrogare. Sed tanquam oraculo, ita eius dictis, iij qui tunc erant, acquiescebant. Cumq; ueniret in ciuitates, fama exhibat, eum non docendi, sed medendi causa uenisse. Iubebat etiam Pythagoras a corde abstinere, et alba gallina, et in uniuersum ab omnibus animalibus, et no uti glande, neque per vias publicas ingredi. Incertum enim esse, an haec etiam ipsa sint sancta.

**Dereuerentia & honore, quem
Dionysius Platonis ex-
hibuit,**

Cum Plato multis et crebris legationibus a Dionysio accersitus, in Siciliam uenisset, Dionysius iuuenis in currum eum imposuit, et ipse aurigam egit, Platonem uero sessorem fecit. Tunc au iunt Syracusium uirum gratosum et urbanum, Homeriq; poematum non ignarum, delectatum spectaculo, paululum remisso curru, haec ex Iliae de recitasse:

Μέγας δὲ ἐβραχε φύγιος αἴξωμ, (σοφ.
Βρυθοσιώη, θεινὸν γαρ αἴγε βροτὸν, αὐδρα τ' αἴρε

Dionysius igitur, qui in omnes reliquos suspiciosus existeret, tamen ita reuerenter habuit Platonem, ut eum solū sine inquisitione ad se admittens, tametsi sciret eum intimū Dionis amicum esse.

g 3 Quod

**Quòd disciplinam amauerit Philip-
pus, & de Aristotele.**

Philippus Macedo non solum bellicis & orati-
orijs uirtutibus claruit, sed etiam institutionem et
doctrinam admodum honorifice habuit. Aristote-
li igitur infinitas pecunias suppeditans, causa fuit
tum aliis magne eruditionis & doctrine, tñ etiā
eius scientie quæ uersatur in contemplatione ani-
malium. Et horum historiam Nicomachi filius
propter abundantiam diuinarum Philippi lucra-
tus est. Platonem etiam & Theophrastum munen-
ribus honorauit.

**De Democrito, & eius, Theo-
phrasti, Hippocratis, alio-
rumq; gloria.**

Democritum Abderitan fama est tum in alijs
singulari fuisse sapientia, tum in hac, quòd ignoran-
ti & latere cupiebat, quod etiam opere req; com-
pleuit. Proinde multas terras adibat, & peruenie-
bat ad Chaldaeos atq; in Babylonē, & ad magos, &
ad sophistas Indicos. Cū duiderentur ab eo patris
Damasippi bona, tribus fratrib. in tres portiones,
ipse solummodo argentū quòd ad uiaticum suffice-
ret, accepit, reliquū omne fratribus permisit. pro-
pter cā causam laudatus est à Theophrasto, quād
circumiens plura collegerit, quam uel Menelaus,
uel

nel Vlysses. nam illi circumerrabat, nō aliter quām mercatores Phoeniciae. Pecunias enim cum labant: et hæc causa illis fuit tū pedestriū, tū naualiū itinerū. Abderitæ quoq; Democritum nominabant philosophiā, Protagoram uero sermonē, seu fabulam.

Democritus omnes deridebat, et diebat eos insanire. unde etiam Gelasimū, id est risorem, cum ciues sui appellarunt. Dicūt etiā in primo congressu cū Democrito Hippocratē de ipso tanquā de stufo sensisse. Postq; uero ipsi familiaritas intercesserat, mirū in modū admiratū eſe hominis sapiētiā.

Dicunt præterea Hippocratem fuisse Doris cum: sed in gratiam Democriti, Ionica lingua suos libros scripsisse.

Amalij Socratis & Platonis.

Socratis amansius fuit Alcibiades, Platonis uero Dion. At Dion fructum etiam aliquem ab amatore percepit.

De Atheniensium delicijis.

Veteres Athenienses, purpureas uestes induere soliti sunt, & uarijs amiciri tunicis. Corymbis implicarunt capillos, & os aureis cicadis, alijsq; ornamenti ex auro apposititijs circumdantes, in publicum processerunt. Et quocunq; ibant, sequabantur pueri cum sellis claudicantibus, ne temere in quovis loco sedere cogarentur. Manifestum est autem, mensam etiam & alias uite rationes

ipsis fuisse delicatores. Et eiusmodi cum essent, tamen e p̄elio Marathonensi uictores discesserunt.

De quibusdam prodigiis.

Periclem, Calliam filium Hipponeici, et Nicim, prodigalitas, et uita uoluptuaria, ad pauperatatem redegerunt. Postquam enim defecit eos pecunia, tres simul cicutam inuicem propinantes, extremam potionem, quasi ē coniuicio ad inferos misgrarunt.

Qua ratione maximē conseretur amicitia.

Leoprepem Ceum patrem Simonidis, cum se deret aliquando in palestra, dñi adolescentes amici accedebant: et quomodo durare maximē mutuo amore posset, interrogabant. Qui respondit, si neq; mutua ira concitati, neq; dissidentes animis, alter alterum irritarit.

De repentino furore Thrasylli.

UThrasyllo Aexoneum inauditus quidam aconius dementiae morbus inuasit. Nam urbe relicta migrabat in Piræū. cumq; ibi habitaret, omnes natus quecunq; in eo subducerentur, suas esse putabant, et in album suum referebat, sicq; dimittebat eas. Quod si quæ salutē et integrā in portum ingredierentur, supra modum gaudebat. Multum autem temporis hoc morbo tenebatur. Proinde frater

ter eius profectus ē Sicilia, tradidit eum medico ut sanaretur, atq; sic eum reliquit uerba. Sepissime igitur sue uitæ mentionem faciebat, quam in amentia egisset: ex se nunquam cumulatius gaudii percepisse dicebat, quām cum uidisset naues seruari, quæ tamen ad se nihil pertinerent.

De Electra.

Xanthus, poeta carminū, qui fuit legatus Ste. sichori Himeræ, dicit Electram Agamemnonis filiam, antea non appellatam esse hoc nomine, sed Laodicen. Postquam uero de medio sublatus est Agamemnon, ex Aegisthus in uxorem accepit Clytæmenestram, regnumq; gubernauit, ipsam caruisse coniugali lecto, ex in uirginitate consenuisse. Quamobrem Electram eam Greæ nominarunt, quod expers mariti uixerit, ex lectum coniugalem non cognouerit.

De Pamphas dono, & Diotimi.

Pamphaes Prynensis, Croeso Lydo, superfluite adhuc ipsius patre, triginta minas dono dedit. Qui cum imperium accepisset, currum argento plenum ei remisit.

Diogenes acceptis paucis nummis à Diotimo Carycio, dixit: Dij tibi largiantur tantum, quantum animo tuo cogitas, ex cupis: uirum scilicet, ex donum. Videbatur autem animo delicate esse Diotimus.

g s Quid

**Quòd Pherecydes in phthiriasimā
inciderit, propter impie-
tatem in deos.**

Pherecydes Syrius miserrimè omnium homi-
num uitam exegit, toto suo corpore à pediculis ex-
eso atque consumpto. Et cum foeda turpisq; facies
euasisset, abstinuit à consortio familiarium, et eos
fugiebat. si uero quis accederet, et interrogaret
quomodo haberet: per foramen ianue, digito, qui
prorsus emarcuerat, extenso respondit, ita totum
corpus suum habere Dicūt autem Delienses, deinceps
in Delo ira commotum et indignatione, bunc ei
morbum intecisse. Nam cum quodam tempore se-
deret cum discipulis suis, atque alia multa de pro-
pria sapientia iactitaret, tum præcipue illud, quòd
etiamsi nulli deo rem sacram faceret, nihil iniu-
cundius neq; tristius uitam ageret, quam qui He-
catombas sacrificarent. Huius igitur uani sermonis
gravissimas poenas dedit.

**Mundos esse infinitos, Alexander
ridiculè credidit.**

Non possum mihi ipsi imperare, quo minus ri-
deam Alexandrum, Philippi filium. Siquidem cum
audiret Democritum in quibusdam libris infinitos
mundos constituere, indoluit, quòd ipse nondum
unius dominium teneret. Quantum uero cum de-
riserit

viserit Democritus, quid opus est referre, cum hoc fuerit ei consuetum ex proprium?

AELIANI VARIAB HISTORIÆ LIBER QUINTUS.

Quod Tachos propter lautiorem diætam uitam finierit.

Tachos Aegyptius, donec usus est uernaculo uictu, et frugaliter uixit, omnium hominum fuit sanissimus. postquam uero ad Persas uenit, ex in illorum luxum delapsus est, cum non posset ferre insolentiam ciborum, uitam in dysenteria transegit, ex luxuriam cum morte commutauit.

Quomodo mortuus sit Pherecydes.

Pherecydes preceptor Pythagoræ morbo corruptus, primum emisit sudore calidum, uiscosum, ex mucori simile. Postea uero prorsus beluinum, et dein de pediculi creuerunt: cumque carnes in pediculos disolueretur, liquo factio secuta est, et ita anima exhalauit.

De columnis Herculis.

Aristoteles affirmat, eas columnas que nunc Herculis appellantur, antequam hoc nomen sortirentur, Briarei dictas esse. Postquam uero Hercules terram mareque purgasset, ex sine dubio bene meritus esset de genere mortaliu, in honorē eius Briarei nemoriam ipsos delevisse, ex Herculis columnas nominasse.

De

De plantis quibusdam nascentibus in Delo.

Fama est, in Delo nasci oliuam ex palmam,
quibus tactis Latonam subito partu edidisse, cum
ante id facere non posset.

De Epaminondae inopia & magnificentia.

Epaminondas unam solum habebat uestem,
eamque sordidam. si quando uero eam misisset ad ful-
lonem, ipse se domi continere ob indigentiam alterius
cogebatur. His facultatibus preeditus, tamen cum
sibi Persarum rex magnam uim auri dono misisset,
non accepit. ex ut mea quidem fert sententia, ma-
gnificentior fuit is qui non aurum cepit, quam
qui donauit.

De ultronea morte Calani.

Sanè etiam laude, seu potius admiratione dignus
est finis Calani, qui fuit eiusmodi. Calanus sophis-
ta Indicus, cum longum uale dixisset Alexandro,
Macedonibus ex uitæ, quando seipsum ex corporis
uinculis liberare uolebat, extorta ex apparata
pyra in suburbio Babylonis, ex lignis aridis, ex ad
prouocandam bonam fragrantiam delectissimis,
cedro, ulua, cupresso, myrto ex lauro, ille solitum
exercitium obiuit, (erat autem id cursus) ex accen-
dens in media strue constitit coronatus folijs arun-
dinum

dinum, affulgente sibi sole quē ipse adorabat: atq;
boc dederat signum Macedonibus, ut pyram incen-
derent. quod cum fecissent, ille circumdatus flam-
mis, immotus constitit: neq; antē loco ceſſit, quām
expirasset. Tunc diuit Alexandrum cum stupore
quodam admiratum dixisse, Calanum potentiores
hostes debellasse, quām se. Nam Alexander cum
Poro, Taxila et Dario bellum gesserat: Calanus
uerò cum labore et morte.

De Anacharside.

Scythe in sua tantum regione oberrant. Anachar-
sifis uerò, tanquam uir sapientia eximia muni-
tus, etiam ulterius suum errorem produxit. Venit
enim in Græciam, et apud Solonem in magna fuis
admiratione.

Quomodo aliqui tulerint scommata.

Scommata et conuicia mihi per se nullam uim
habere uidentur. Etenim si ad animum solidum et
sibi constantē applicantur, intereunt. Sin ad illū he-
ralem et abiectum, possunt aliquid: et sepe non
solum in dolores, uerum etiam in mortem coniici-
unt. Argumento sint illa. Socrates, cum in comœ-
dia taxaretur, ridebat. Polyagrus uerò, scipsum
strangulabat.

De Aristotele.

Ari-

Aristoteles abliguritis omnibus pecunijis, quā ex hereditate parentis ad ipsum deuenerant, tñ militiam profectus est. Deinde cum sinistrē in alijsq; autibus hoc ei procederet, pharmacopolam egit. Frequentans autem Peripatum, ex audiens docentium sermones, cum natura multis esset præstantiore, habitum sibi comparauit, quem deinde in opus produxit.

**Nauium aliquarū & armatorū
numerū, quos amiserunt
Athenienses.**

Athenienses semper summo studio nauīū classem sibi compararunt: ex temporis intervallo nunc uictores, nunc uicti amiserunt triremes in Aegypto ducentas, unā cum supplementis in Cypri centum ex quinquaginta, in Sicilia ducentas ex quadraginta, in Hellefpono ducentas. Armatuera grauis milites eis perierunt in Sicilia ad quadrageinta millia, in Cheronia mille.

**De crudelitate regis Thracum
erga liberos.**

Rex Thracum (nomen aliud dicat) cum Xerxes in Græciam bellū importaret, aufugit in montem Rhodopen. Sex uero suis filijs consulebat, ut ne contra Græciam arma caperent, ex quo manifestum est, eum Græcis bene cupuisse: Verum cum illi

*Ali patri morē non gesſiſſent, reuerſis omnib. ocu-
los eruit, non præſtrens in hoc Gracū ingenium.*

**Demades punitus est, quòd decre-
tum fecerat, ut Alexander in
deorum numero ha-
beretur.**

*Non possum non hoc factum Atheniensī ex-
oculari. Conuocata Atheniensī concione, Dema-
des surgens, decreto iuſſit ut Alexander scribere-
tur deus decimustertius. At populus impietatis ma-
gnitudinem non ferendam ducens, Demadi irroga-
uit multam centum talentorū, quòd Alexandrum
mortalem ex hominem ascripsiſſet Olympicis.*

**Quòd Athenienses ad nouas res
proclives fuerint.**

*Athenienses omnino ad commutandos reipub-
lice ſtatus erant uerſatiles, ex omnium propenſiſſe-
mi ad uicitudines. Nam regnum Cecropis, Erich-
thei, Thesei et Codridarum poſtea moderate tule-
runt. Tyrannidē experti ſunt ſub Pisistratis. Ari-
ſtocracia uif ſunt uſq; ad quadraginta. deinde ſin-
gulis annis in posterum, decem ex ciuibus reipub-
liſſerunt. Poſtremo cum triginta tyrañni conſti-
tuerentur, coorta eft confuſio, et ſine magistratib.
reipub. fuit. Hanc tam procluem commutationem
morum, an laudare equum ſit, ego ſanē ignoto.*

Lex

Lex Attica de corporum sepultura, & boum mactatione.

Lex etia hec inter Atticas scripta fuit. Si quis in infepultu cadauerit hominis incidat, omni parte id terra obruat, & sepeliat ad occasum spectans: atq; id seruatum custoditumq; apud ipsos est. Bouem aratorem, qui iugum trahit, uel in aratro, uel in plaustro ne mactes: quoniam ille etiam agricultor est, & humano generi laborum socius.

Loca ubi iudicia Athenis exercebantur in homicidas.

Loca erant in Attica iudicijs constituta, si quis consulto & præmeditatè mortem alicui intulisset, in Martio pago: sin præter uoluntatem & cogitatam rationem, in Palladio: sin uero cædē factam esse confiterentur, iure uero an iniuria patrata esset, id in dubium vocaretur, in Delphio rationes dijudicabantur.

Puer sacrilegij nomine capit is damnatus est.

Puer cum auream laminam, que ex Diane corona deciderat, sustulisset, in iudicium adductus est. Iudices igitur crepundia, talos & laminam auream proposuerunt puero. qui cum iterum ad aurum inclinaret, plexus est tanquam sacrilegus. neq; etati ueniam dederunt, sed flagitium & scelus uidearunt.

De

De Atheniensium superstitione.

Tantam superstitionem Athenienses animis conceperant, ut si quis scobem excuteret ex Herro, eum morte multarent. sed ex Atarbem, quoniam Aselepij sacrum passerem usq; ad necem uerberasset, non impunè ferre sruerunt sed. Atarbem morti adiudicarunt, neq; impudentiae, neq; insanie rationem ducentes, sed utrisq; his antiquiora habentes sacra dei. Dicebatur enim inuitus id factum designasse. Alij uero eum furore percitum fecisse commemorant.

De muliere prægnante, quæ capit is damnata est.

Iudices Areopagite, cum ueneficam mulierem deprehendissent, ex eam morti tradere uellent, non prius ipsam interemerunt, quam partu libera raretur. postquam uero peperit, comprehendens ipsam, ex soluentis à damnatione innocentem infantem, eam quæ commeruerat supplicium, solam morte multarunt.

Aeschylus impietatis nomine condemnatus, quomodo euaserit.

Aeschylus tragicus in quodam dramate impietatis damnatus erat. Cumq; Athenienses iam patrati

rati essent eum lapibus obrucere, Amyntas iunior frater, detecta ueste, cubitum ostendit manu uecum. Fuerat autem Amyntas in Salamine, unas ex primoribus, ubi manum amisit, ex primam palam ex omnibus Atheniensibus consecutus est. uti uero indices hominis incommodum ex damnis aspicerunt, repetentes facinorum eius memoriam, Aeschylum absoluunt.

De Tarentinorum iejunio, & Rheginorum.

Cum Tarentini à Romanis ob siderentur, periculūq; esset, ne fame ad deditonem compelleantur, Rhegini decimo quoq; die iejunium decetnientes, uictum conesserunt Tarentinis. proinde cum decadentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentini, festum constituerunt, quod iejunium appellabant.

Quod Medea proprios liberos non occiderit.

Quidam dicunt falsum esse rumorem, qui de Medea fertur. Non enim illam liberis suis mortem intulisse, sed Corinthios, fabulam uero ex actum de Colchide inde natum esse. Euripidem rogantibus Corinthiis, confinxisse, et à mendacio ueritatem superatam esse, propter poete ingenium et artem. Pro scelerē uero in filios patrato etiam multe fames

fama est, Corinthios expiatoria sacrificia filiis offerre, et ea quasi tributum eis referre.

. A E L I A N I V A R I A E H I-
storiae Liber sextus.

D e quorundam in alios ira, inhumanitate, iniuria, ui, contumelia.

A Thenienses deictis Chalcedonensibus, terram eorum, que Hippobota dicitur, in quadraginta portiones forte distribuerunt. Temples uero Minerue reliquerunt in loco quem Lilantem vocant. Reliquam terram omnem precio elocarunt, et columnas ad regiam porticum collocatas, quae etiam monumenta continebant elocationis. Captiuos uero vinculis affecerunt, neque hic ira libidinem aduersus Chalcedonenses extinxerunt.

Lacedaemonij Messanijs superatis, omnium quae cunq; in Messania erant, dimidiata partem sibi met ipsi ceperunt, et mulieres liberatas in funera prodire coegerunt, et alienos, neque quicquam ad se pertinientes mortuos lugere. Ex uiris aliquos reliquerunt condendo ruri, nonnullos uendiderunt, multos etiam morte mulctarunt. Athenienses parem saevitiam exercuerunt. Nam aspirante sibi fortuna, non potuerunt eam modeste ferre. Sed inquilinorum puellas adigebat, ut attegias suis puellis in pompis preferrent, et mulieres mulieribus, et niris scaphas gestarent,

h 2 Sicyonis

Sicyonij cum cepissent Pellenam, uxores et familias Pellenensium in luponari prostituuerunt. Crudele ò deum immortalem scelus, et barbaris etiam, ut mea fert opinio, indignum.

Cum uicisset Cheronensem pugnam Philippus, superbum animum gerebat tum ipse, tunc Macedones propter res gestas. Græci uero metuentes eum, secundum ciuitates singulas se in eius fidem dedidere: idq; secere Thebani, Megarenses, Corinthi, Achivi, Elienses et Eubœi, qui in litore habebant omnes. At non stetit conuentis Philippus que cum eis pepigerat, sed omnes preter omne ius et equitatem in seruitutem redigit.

De fortitudine filij Harmatodij.

Harmatodij Thespensis filius, cum alijs ciubus auxilio ueniens Atheniensibus, primum quidem strenue riteq; pugnauit. Consumptis autem omnibus armis, nudis manibus aduersus armatos dimicando uitam cum gloria finiuit. Itaque patrino nomine iuuenem appellauit, et Homerice celebrauit. Ipsius uero nomen si quis flagitet noscere, alii unde sciet.

De Isada puero.

Lacedemonij Isadam, puerum adhuc, quem lexe nondum ad pugnam uocabat, quoniam exiliens gymnasio strenuum se praefliterat, corona donaverunt.

uerant. quoniam uero non dum etate postulante,
et cum insolitis armis in hostes irruerat, paene
affecerunt.

Deo cui Lysandri filia despon- sa erat.

Lysandro uita defuncto, ille qui superstitis
adhuc filie fidem dederat coniugij, puella orbat
parente cum Lysander post obitum pauper reper-
tus est, sponzionem antea factam reuocauit, et se
nolle eam ducere uxorem dixit. Ob eam causam pri-
nierunt eum communi decreto Ephori. Neq; eni^m
Laconica erat integritate, neq; Greco animo, qui
mortuo amico gratiam non prestaret, et pactis
fideiq; diuitias potiores haberet.

De legatis Atheniensium:

Athenienses, missos in Arcadiam legatos, quo-
niā alia uia, quam imperatum erat, profecti fuer-
rant, tametsi mandata perfecerant, tamen mor-
te multarunt.

Laconicæ leges:

An uero non haec etiam Laconicam olen^t di-
sciplina? Lex est Spartanis, ut qui tres filios suppe-
ditaret reipub. is ab excubijs liber esset: qui uero
quinq; ab omnibus publicis officijs immunitatem
haberet. Item ut matrimonia: nulla intercedente
dote contraherentur. Item in conflictus indutis pur-

pura uenire necesse erat, ut color etiam aliquam grauitatem præferret: ex si ad hanc adspargerentur sanguinis guttæ de uulneribus, terribilior exstiteret hostibus, aspectu magis sensum penetrante, & formadibiliore.

Lacedemonio ne manubias quidem hosti detrahere licebat. Qui uero se strenuos præbuissent, & occubuisserint, oliua & alijs ramis redimiti, laudibus uehebantur. Qui uero perfectam ex absolutam uirtutem præstisset, iij etiam amicti purpurea, gloriose sepulchris mandabantur.

De terræmotu qui Spartæ contigit.

Cum Lacedemonij cōtra seruos Tænarenses per vim et perfidiā insurrexisset, et eos occidissent (erat autem hi serui ex Eilotarū genere) propter indigitationem Neptuni terræmotus insperanti Spartæ accidens, fortissime discubuit ciuitatem, ita ut ex uniuersa urbe quatuor solū ædificia relinquerentur.

De occidione Artaxerxis.

Aiunt Artaxerxem, qui etiam Ochus cognominatus est, cum eum per insidias Bagadas eunuclus Aegyptius de medio sustulisset, interemptum & occisum, felibus projectum fuisse. sepultus autem est eius loco alius, & regijs munimentis traditus. Sacrilegia autem Ochi cum alia multa feruntur,

runtur, tum præsertim que in Aegypto commisit. Bagoe uero non satis fuit occidisse Ochum, nisi etiam ex femoribus eius manubria gladiorum faceret, ut suum animum ad cædes propensum representaret. Odio autem eum habuit, quod Apis in Aegypto trucidarat, uelut etiā Cambyses antea.

De thesauro quæsito à Delphis in templo Apollinis.

Quoniam ex Homeri carminibus fama ad Delphos peruererat, Apollinis templum ditissimum antiquitus esse, his uersibus:

Οὐδὲ ὅσα λαῖνος οὐδὲς αἴρετος ἐν τὸς ἔργοι,
Φοίβου Απόλλωνος πυθοὶ εἰνὶ περπέοση.

Delphos aiunt, circa aram et tripodem suffocare coepisse; cumque terramotus horribiles orirentur, monitos ab incepto destitisse.

Lex de ciuibus à Pericle posita.

Pericles dux Atheniensium legem scripsit, ut nemo ad gubernandam reipublicam accederet permitteretur, nisi qui utroque parente ciue natus esset. Tetigit autem ipsum legis ultio. Nam duo filii, quos habuit, Patroclus et Xanthippus, communis morbo pestilentiae confecti, mortem obierunt. superstites autem Pericli fuerunt quibus

quibus potestas administrandi rem publicā per legem patris erat erupta.

De Gelone uolente subditis imperium reddere.

Gelon cum in Himerensi pugna deuicisset Carthaginenses, uniuersam Siciliam sub suum imperium coegit. Post nudus in forum progressus, affirmauit se ciuibus imperium restituere uelle. Qui renuebant, experti eius humanitatem, quod uidelicet popularior esset, quam pro potestate monarchoe. Propter hanc causam in Sicilia simulacrum ipsius in delubro Iunonis nudum stat, et pictura famum Gelonis ob oculos ponit.

De Dionysij felicitate, & qualiter exitum ea sortita sit.

Dionysius secundus imperium tenebat optimè constitutū, munitumq; hoc modo. Naves posse debat non pauciores quadringentis, feremes et quinqueremes. Pedestres copias ad centum millia hominum, equitum nouem millia. Ciuitas uero Syracuseorum maximis portibus erat instructa, et moenibus altissimis circundata, atque in promptis habebat omnem apparatum bellicum quingenitis nauibus. Reconditum etiam habebat frumentum ad centum modiorum myriades, et armamentarium scutis, gladijs, hastis, tibialibus innumeris, thos

thoracibus et catapultis plenum refertumq; (catapulta autem inuentum fuit ipsius Dionysij) præ berea socijs infinitis uigebat. His rebus confidens Dionysius, adamante colligatum imperium obtine re se putabat. Sed ipse primos fratres suos morte affecit. Vicit etiā filios suos crudelissimè mactari, et uirgineum pudorem filiabus eripi, atq; deinde nudas trucidari. Breuiter, nemo ex eius propagine sepulturā eam quam putasset adeptus est. Nam alij uiui combusti sunt: alij dissecti, et in mare projecti sunt. Id adeò euenit ei, cum Dion Hipparini imperiū occuparet. Ipse uero in extrema mendicitate senex uitā transegit. Theopompus dicit eum nimia uinplentia perdidisse oculos, ita ut cecutiret, et sedisse in tonstrinis, risumq; hominibus com mouisse, atq; in media Græcia turpiter et præter decorum uersatum miserrimam uitam traduxisse. Et non leue documentum extitit mortalibus, ad amplectendam temperantiā et morum honestatem, Dionysij ex tantis opibus in tam miserum statum, rerum uiciſſitudo.

De tyrannidibus, quæ usq; ad posteros in Græcia perdurarunt.

Pulcherrimè à dijs immortalibus comparata est, ut nullam tyrannidem usq; ad tertiam ge-
b s neræ

nerationem propagent, sed aut confestim tyranno-
nos quasi arundinem disculant et conterant, aut
liberos eorum uiribus denudent et spolient. Me-
morantur apud Græcos ante hominum memori-
am haec solum tyranides usque ad posteros perman-
uisse, Gelonis in Sicilia, Leucaniorum in Bospho-
ro, et Cypselidorum Corinthi.

De Dario insidijs petito.

Singularem mansuetudinem in Dario filio Hy-
daspis hoc factum arguit. Aribazus Hyrcanus in-
sidias illi ponebat, una cum alijs non obscuræ fame
in Persia uiris. Erant autem collocata inter uenar-
dum. Quas ille cum rescisset, non exanimatus me-
tu est, sed iubet eos arma sumere et equos: atque de-
inde mandauit, ut intenderent arma. toruumque a-
spiciens eos: Quid igitur non exequimini, inquit,
id cuius gratia uenistis? At illi cum intrepidum ho-
minis uultum aspicerent, non solum impetum remi-
serunt, uerum etiam usque adeò terrore perculsi sunt,
ut hastas abijcerent, et desilientes ab equis Dari-
um adorarent, atque recipere se fato quic-
quid uellet. Qui disgregauit eos a se mutuo, et alia-
rum ad Indiæ confinia misit, alium ad Scythicas.

Atque illi beneficij memores, fideles in poste-
rum et obedientes ei fuerunt.

AE L I A S

AELIANI VARIAE HISTORIAE LIBER SEPTIMUS,

De Semiramide, & quomodo regnum Assyriorum sibi vindicauerit.

DE Semiramide alijs alia dicunt. Ea fuit inter omnes foeminas speciosissima, tametsi remissius & negligentius formam currabat. Cum uenisset ad regem Assyriorum, vocata propter formae pulchritudinem, ille ubi uidit, statim eam desperire coepit. At illa petiit ab rege munus, stolam regiam, Asiaq; imperium ad quinque dies, ex eorum qua in hoc gererentur potestatem. neque frustrata est eam petitio. Cum uero collocasset eam rex super thronum, & ipsa iam manus sensentiaq; cunctorum potens esset, mandauit satellitibus, ut regem interficerent. atq; sic Assyriorum imperium obtinuit. Refert hæc Dinon.

De Stratonis & Nicoclis delicijs.

Straton Sidonius dicitur omnes homines luxus et munificētia superare studuisse, & Theopompus Chius comparat eius uitā Phœacum comedationibus, quas Homerūs pro suo singulari ingenio & consuetudine taxauit. Huic non unius presto erat

erat coenati, qui cantationibus ipsum exhilararet: sed multe quoque mulieres musices perite, fistulicines, lupae decora facie, & saltatrices. Egregie uero certabat cum Nicocle Cyprio, quoniam hic etiam cum illo. Erat autem illa contentio de nulla re honesta seriaque, sed de predictis cupedijs. Nam cum audiret uterque ab ipsis qui adueniebant de alterius rebus, uterque alterum cum quadam emulatione superare conabatur. Veruntamen neuter potuit bis in perpetuum indulgere. Nam uterque violenta morte de medio sublatus est.

Sermo Aristippi quidam, ad sedandum dolorem idoneus.

Aristippus, cum quidam ex necessariis eius uebementi & acerbo luctu scipos conficerent, cum alia multa ad sedandam moestitiam in medium atculit, tum haec exordij uice: At ego non uenio ut ad uestros dolores meum adiungam, sed ut uobis omnem moerorem ex animis eximam.

De laude molæ.

Pittacus magnis laudibus molam euebat, idque eius encomium decantabat, quod in exigua loco multi se se exercitare possent. Extabat item castilena, que ob eam causam Epimylion nomen habebat.

De

**De manuario in multis rebus
Achillis & Vlyssis
labore.**

*Laertes etiam in manuaria opera deprehensa
fus est à filio, poliens plantam, cum iam esset extre-
mæ senectutis. Fatetur etiam Vlysses se et multa sci-
te, et quæ sciat manibus exequi:*

*Δρυσμοσιών δὲ οὐκ αὖ μοι ἐρίσετε βροτὸς αἰλλος,
πορτε πατευνῆσαι, οὐδέ τε γύλας πολλὰς πεάσαι.*

*Et rates, nihil opus habens fabris, ipse suo labo-
re celerrime confecit. Itemq; Achilles, cum esset ter-
tius à Ioue, ipse carnes dissecans, legatis qui ab
Achiis uenerant, coenam summo studio parauit.*

**Scythæ cuiusdam responsum
de frigore.**

*Cum aliquando copiosa nix cecidisset, interro-
gavit rex Scytharum quendam nudum perseue-
nentem, An' ne frigeret? qui ē contrario regem in-
terrogauit, Posit' ne frigere frons? respondentे ip-
so, Non posse. Quare igitur, inquit, ego frigus non
tolerem, cum totus sim nihil aliud preter frontem.*

De uigilijs Demosthenis.

*Pytheas scomma iecit in Demosthenem, De-
mosthenis (inquiens) eius enthymemata lucernam
olere: quod totam noctem meditando uigilan-
doq; consumeret, et memorie mandaret, quæ pro
concione*

115 AE L I A N I
concione ad Athenienses dicturus esset.

De luctu Alexandri, quem ex Hēphæstionis morte cepit.

Cum Hephestion diem suum obiisset, Alexander in ictis in pyram armis, auro et argento, simul et cum mortuo igni tradidit, itemque uestem magni precij apud Persas. Ratis etiam omnes bellacos et fortes, atque seipsum, imitatus in hoc Achilem Homericum illum. Sed hic illo violentius et feruidius fecit, cum circumradens euerteret muros Ecbataniorum arcis: usque ad subiugitur capillos, uicem detur mihi plane Graeco ingenio fecisse. at cum muros dirueret, tum uero barbarico more luxit, et stolam permutauit, dolori, amori et lacrymis omnia permittens.

Hephestion mortuus est ad Ecbatana. Fama autem emanavit, hec parata esse Hephestionem mortuo, sed Alexandrum uita defunctum ihs usum esse. Non enim a luctu ob iuuenem suscepito, destituisse Alexandrum, quam ipsum quoque mors abstulerit.

De continente sc̄emina.

An non hec singularis erat continentia? Me sane iudice maxima. siquidem Phocionis uxor, uestem Phocionis gestabat, neque opus habebat uel et coto, uel Tarantino, uel Anabola, uel Encyclio

cito, uel Cecryphalo, uel peplo, uel tinctis & coloratis tunicis, sed primum inducebat temperatiam, deinde que suppeterent.

De Socratis uxore.

Xantippe Socratis, cum nollet eius uestem induere, atque sic ad spectandam pompam prodire, respondit, ut quam non spectandi causa, sed potius ut specteris, abeas.

De calceamentis Romanarum mulierum.

Ex Romanorum foeminis, multæ eosdem cum viris calceos gestare consuerunt.

Lysandri, seu Philippi apophthegma de periurio.

Pueros tesseras, viris iuramentis oportet circa cumuenire. Quidam ascribunt hoc dictum Lysandro, alij uero Philippo Macedoni. uter uero disserit, mea sententia longe à recto iustoq; aberauit. Neq; uero absurdum est, si dissentiam à Lysandro. Nam ille tyrannidem exercebat. Ego uero quo animo sim, ex eo manifestum est, quod minti mè inibi hoc dictum probatur.

De patientia Agesilai.

Agesilaus Lacedæmonius iam senex, per sepe sine calceis & tunica proibat in publicum cum la-
cera

cera necte, idq; matutino tempore hyemis. Cum autem quidam cum obiurgaret, quod puerilius ageret, quam etatem illam deceret, respondit: Verum, inquit, iuniores ciuium, quasi muli, si uestem uirilem induam, omnes oculos in me coniiciunt.

De philosophis qui militarunt, & respublicas gesserunt.

Quamobrem uero non fuerunt bellandi periti etiam philosophi? Mihi sane uidentur. siquidem Architam sexies in ducē elegerunt Tarentini. Melissus uero nauali prelio praeuit. Socrates ter in militiam profectus est. Plato etiam ipse fuit in operatione Tanagra et Corinthis. Xenophontis autem expeditiones et militias cum multi alij descripscrunt, tum etiam ipse de se fatetur in libris de Cyro. Dion item Hipparini, Dionysij tyrannidem euertit. et Epaminondas Boeotarchus ad Leuctras missus, superauit Lacedaemonios, et tum inter Romanos, tum inter Græcos primus fuit. Multa etiam pro Atheniensibus confecit Zenon, contra Antigonū. Nihil enim interest, siue quis animi sententia, siue quis armis alios iuuet et promoueat.

Quomodo Mitylenensium socij defectionis poenas dederint.

Cum maris imperium tenerent Mitylenenses, socijs qui descivierant, hanc poenam imposuerunt, ut

et liberos suos non docerent literas, neq; artes libe-
trales, omnium suppliciorum hoc grauiſſimum iu-
dicantes, in infacia et ignorantia artium liberalia-
rum uitam transfigere.

De Roma, Remo, Romulo & Seruia.

Roma condita est ab Remo et Romulo, fi-
liis Martis et Seruiae, quae una erat ex prosapia
Aeneae.

De Eudoxi aduentu in Siciliati.

Cum Eudoxus in Siciliā uenisset, uerbo se Dio-
mysius ei gratias egit aduentus. At ille nihil adulca-
tus, neque refugiens: Veni, inquit, quasi ad bo-
num hospitem, apud quem Plato diuerteret: conſi-
tens se non ipius, sed huius causa uenisse.

Quod Aegyptij patientes sint tor- mentorum, & de mulieri- bus Indicis.

Aegyptios aiunt patientissime ferre tormenta-
ta: et citius mori hominem Aegyptium in que-
ftionibus tortum exanimatumq; quam ueritatem
prodere. Apud Indos uero eundem ignem cum
mortuis uiris, uxores audent ingredi. Contendunt
autem de uiris mulieres: et q̄iam sors tetigit, ea
simil comburitur.

De

De stratagemate Solonis contra Megarenſes, & quomodo deinde uerbis eos uicerit.

Solon in bello de Salamine suscepto, ducem egit: & captis duobus templis, duces Atticos in eos imposuit, atq; hostium arma suis militibus induenda dedit: sicq; per infidias multos Megarenſium circumueniens, inermes trucidauit. uicit autem eos non eloquentia, sed argumentis ipsis ex rebus eos confutauit. Aperiens enim uetustos & antiquos loculos, ostendit omnes Athenienses uersus occassum patro more iacere: Megarenſes uero temere & sine discrimine sepultos esse. Iudicaruntq; causam Lacedæmonij.

De fene Ceo, qui crines tinxerat.

Ceus quidam etate proiectus, uenit Lacedæmonē: et cum diuā turgeret superbia, propter senectutem reverenter habebatur, proinde canos occulere conabatur tintura. Itaq; cum in conspectum Lacedæmoniorum prodijisset, ostenso tali capite, exposuit quorum gratia uenerat. Consurgens itaque Archidamus rex Lacedæmoniorum: Quid, inquit, hic sani diceret, cuius non solum animus, uerum etiam caput fucis contaminatum est. & expofit

Plorat eius dicta, ingenium Cei redarguens, ex ijs
quæ oculis cernebantur.

De Cæsarī & Pompeij sedulitatis
& cura perdiscendi ea, quæ ad
recte regendas respub-
licas pertine-
rent.

Non deditus est Cæsar, Aristonis ianuā fre-
quentare: neq; Pompeius Cratippi. Non enim eos
potentia ad contemptum rapiebat earum rerum,
quæ maximè ipsis profutura putarentur: imò ro-
gabant etiam illos, quamuis tanta essent dignitate.
Non enim imperare, ut apparet, sed recte impe-
rare cupiebant.

A E L I A N I V A R I A E H I-
storiæ Liber octauus.

De Socratis genio.

Dicebat Socrates de genio qui sibi adesset,
ad Theagenem, Demodocum, aliosq; mul-
tos, & persæpe sanctam pompe uocem obtin-
gere, que (inquit) si contingat, eius quod factu-
rus sum, dehortationem & intermissionem si-
gnificat: adhortatur autem nunquam. At-
que etiam, si quis amicorum mihi de aliqua re

i 2 commu-

communicet, et illa uox audiatur, rursus à propo-
sito reuocat, atq; illa me sui consiliij participem fa-
cit. ego uero rursus eum qui consilium à me petit,
neq; permitto ut quod instituit agat, secutus diuina
hęc prænuncia. Testem autem citabat Charmidem
Glaconis filium. Nam cum se præparare uellet
ad ludos Nemee, statim incipiente loqui ad Socra-
tem, hęc uox audita est, et Socrates Charmidem
dehortatus est ab instituto: qui cum nolleb' obsequi,
digno exitu compensatum est ei hoc studium.

De Hipparchi sapientia, & studio erga doctos, & Homericis carmínibus.

Hipparchus filius Pisistrati, cum esset maxi-
mus natu inter suos fratres, omnium Atheniensium
erat sapientissimus, et Homeri carmina primus at-
tulit Athenas, coegitq; rhapsodos ea in commu-
ni Græcorum conuentu canere. Misit etiā ad Ana-
creontem Teium pentecontorum, ut ad se ueniret.
Simonidi uero Ceo summa cum diligentia adhæsit,
semperq; secum habuit magnis muneribus et mer-
cede(ut uerisimile est) persuasum. Etenim si dicans
de Simonidis auaritia, et pecuniarum cupiditate,
nemo opinor repugnabit. Hic Hipparchus om-
nem operam nauauit eruditis doctisq; uiris, et no-
luit suo ipsius exemplo præire Atheniensibus ad
studia

*studia literarū, & præstantioribus atq; meliorib.
ipsis imperare conabatur. Nemini enim sapienti-
am inuideri, par esse censebat: quippe cum esset vir
bonus & integer. Hæc commemorat Plato, siqui-
dem Platonis reuera discipulus est Hipparchus.*

**De bouis mactatione apud Atheni-
enses, & festis dijpoliorum,
buphoniorumq;.**

*Atticis in more est, ut cum occiso bove reliqua
omnia à cæde libera pronuncient, singulis ordine
iudicatis: solum autemensem condemnent, &
dicant illū cædis autorem extitisse. Et eius diei, in quo
hæc patrant, festū uocant Dijpolia & Buphonia.*

De Poliarchi delicijs.

*Poliarchum ferunt ad eam mollitiem perue-
nisse, ut canes etiam & gallos, si quibus delectatus
fuisse, mortuos efferrret publicè, & amicos suos
conuocaret ad funus, splendideq; eos sepeliret, at-
que erigeret in illorū monumentis columnas, qui-
bus epitaphia eorum insculperat.*

**De Neleo, Medonte, & duode-
cim Ioniæ ciuitatibus.**

*Neleus filius Codri cum regno pulsus, Athenas
relinqueret, propterea quòd oraculum Apollinis
Medonti, qui in coloniam ex urbe migrauerat, im-
perium destinaret, ad Naxum non uoluntate, sed*

i 3 temp̄

tempestate delatus appulit: soluere uero inde uolentem, contrarij uenti exorti prohibuerunt. Quicum quid factu opus esset ambigeret, uates responderunt, oportere expiari et purgari exercitum, eo quod multi simul nauigarent qui pollutis et contaminatis essent manibus. Itaq; simulari uit etiam ipse se puerum trucidasse, et purgationis indigere. Sic alios qui sibi consciij essent, etiam persuasit. Quod cum factum esset, patet factis iam qui se contaminassent, eos reliquit. illi uero Naxum inhabitarunt. Neleus autem peruenit in Ionia, et primum confedit Miletii, electis Caribus, Mydonibus, Lelegibus, alijsq; barbaris, a quibus duodecim Ionie ciuitates appellatae sunt. quarum haec sunt nomina, Miletus, Ephesus, Erythrae, Clazomenae, Priena, Lesbus, Teus, Colophon, Myus, Phocaea, Samus, et Chius. Alias etiam multas in continente ciuitates incoluit.

De inscitia literarum, & disciplina in Barbaris.

Ex ueteribus Thracibus neminem aiunt literas nouisse. Turpisimum etiam putarunt, et sumum dedecus inhabitantes Europam Barbari, literis uti. Asiatici uero, ut fama est, magis sunt eis usi. Vnde affirmare etiam audent, ne Orpheum quem sapientem fuisse, quod ex Thracia sit oriundus,

dus, sed eius carmina uanis mendacijs esse referta.
Hæc Androton memoria prodidit, si cui dignus
uideretur, cui fidem adhibendam puet, de Thracum
in literis imperitia et inertia.

De celebratis nuptijs ab Alexandro post uictum Darium.

Alexander cum Darium uicisset, nuptias et
sibi et amicis parauit. Erant autem qui uxores duce-
rent, nonaginta, totidemque thalami. Locus uero, in
quo coniuio recipiebantur et accumbebant, cen-
tum habebat mensas, quarum uniuersaque argenteis
pedibus nitebatur, ipsius uero aureis: et omnes pur-
pureis stragulis erant ornatae, uariisque ueste textu-
re barbarice et preciosissime. Recepit etiam in con-
uiuum peregrinos hospites, quos sibi e regione ac-
cumbere iussit. In aula uero coniuia agitabant co-
piæ pedestres et nauales, equites, legationes et
peregrini Graeci: atque ante coenam tubis dabatur
signum, quo conuocarentur, si ad mensam ueniens
di tempus esset: alterum uero, quo surgerent, si di-
scendum ab epulis esset. Quinq[ue] dies integros et
continuos ordine nuptiales epulas celebrauit. Ad-
uenerunt etiam musici et histriones, tam comicæ
quam tragicæ permulti. Aderant insuper circula-
tores mirifici ex India, quod genus reliquis ferè ce-
terarum nationum prestare uidebatur.

De pingendi arte.

Conon Cleonensis artem pingendi, pullulan-
tem iam & ruditer sineq; arte ante sua tempora
exercitatum, ac quodammodo in fascijs lacteis
centem perfecit. Quare pleniorem etiam merce-
dem, quam superioris etatis pictores, retulit.

De tyranno, qui à suo amasio est interfectus.

Archelaum Macedonie tyrannum (sic enim
cum Plato nominat, nō regem) amasius ipsius Cra-
teus, qui non minus imperium deperibat, quam
tyrannus amasium, interfecit amatorem suum eā
spe, quod credebat se tyrannum beatumq; in poste-
rum fore. Atqui cum uix tres aut quatuor dies im-
perium tenuisset amasius, ipse rursus ab aliis per
insidias circumuentus et occisus est. A ptiissime sanā
quadrat huic Macedonio dramati uersus ille,

Qui struit insidias alij, sibi damna dat ipsi.

Nam perhibent Agesilaū ei despondisse unam
ex filiabus: quam cum alij elocasset, indignatione
commotus Archelaum occidit.

De Solone, & eius Draco- niscis legibus.

Solonem Athenienses ad gerendum imperium
elegerunt, nō sorte crearunt. Postquam autem ele-
ctus est, cum alijs rebus multis ornat ciuitatem
tum

tum etiam leges, quas usq; in hodiernum diem ratas habent, eis scripsit. Atq; tunc abrogarunt Athenienses Draconis leges, qui Thesmi dicebantur. Eas duntaxat que de homicido late erant, res tinerunt.

De rerum diminutione & interitu, atq; ipso mundo,

Nihil amplius miramur, si hominum natura, mortalis cum sit & fluxa, cogit eos interire: siquidem & flumina deficere ob oculos cernimus, atque summos & altissimos montes etiam desedisse audiimus. Sic Aetnam, aiunt ij qui mare nauigant, multo minori parte uideri, quam antea conspici solitus fit. Idem etiam in Parnaso accidere, & Olympo Pierico. Itemq; , qui se totius uniuersi naturam tenere profitentur, aiunt mundum, etiam ipsum peritum,

De Demosthene, Aeschine, Theophrasto, & Demochare,

Forte incredibile uideatur, attamen uerū est, cum Demosthenem in Macedonia uerba ingeniumq; deficerent, Aeschines. Attromitae filius Callocides magnus et illustris apud Macedones erat, multumq; reliquos legatos animo consilioq; superabat. In causa fuit, quamobrem ita succederet Aeschini,

schini, Philippi amicitia, et eius munera, et quod
Philippus placide libenterque eum audiebat, bene-
uolis oculis aspiciens, et suam benevolentiam pro-
dens: quae uniuersa fuerunt Aeschini quasi epho-
cia, et incitamenta ad dicendi audaciam, et uerbo
rum profluentiam. Non solum autem hoc accidit
Demostheni, summo oratori, in Macedonia, uer-
rum etiam Theophrasto Eresio. Is enim etiam
cum in Areopago uerba ficeret, defecit: et hanc
excusationem pretendit, se perterritum fuisse sena-
tus autoritate. Amarulenter uero, et aptissime ad
hunc eius sermonem, respondit his uerbis Demo-
chares: O Theophraste, Athenienses erant, non
duodecim numina, qui iudicio praerant.

Qui non riserint.

Anaxagoram Clazomenium aiunt nunquam
ridere uisum esse, neque subridere a principio. De-
eunt etiam Aristoxenum ualde a risu abhoruisse,
et Heraclitum omnia in communi uita deplorasse.

De morte Diogenis.

Diogenes Sinensis, cum iam morti pro-
ximus esset, seipsum deiecit de ponte qui pro-
pe Gymnasium erat: mandauitque custodi pale-
stræ, ut cum expirasset, se abiiceret in illsum. A-
deo pro nibilo duxit mortem et sepulturam Dio-
genes.

De

De Philippi in uictoria continentia, & cuius sibi memoriam refra- ri identidem uoluerit.

*Philippus cum in Cheronea fudisset Atheni-
enses, licet fortuna euectus, tamen appetitum ra-
tioni subdidit, neq; iniuriam fecit. Proinde consul-
tum esse putabat, quendam ex pueris quotidie,
hoc ei mane in memoriam reuocare, quod esset ho-
mo. Quare puero delegauit hoc officium, neq; ipse
prodibat antea, sicut fertur: neque quisquam qui
cum conuenire uellet, prius ad eum introibat,
quam singulis diebus puer hoc ter ei proclamaasset,
dicens, Philippe homo es.*

De Solone & Pisistrato.

*Solon Execestida filius iam annis grandior, si-
spectū habere cepit Pisistratum, nomine tyranni-
dis affectatæ, cum progrederetur in concionem A=
theniensium, et postularet præsidium à populo.
Videns autem Athenienses negligentiores, et pa=
rum attentas aures sermonibus suis præbere, Pisi=brato uero animum aduertere, dixit, eum alijs cal=liorem, alijs fortiorem esse. Quicunq; enim non
intelligerent ipsum, si accepisset corporis fatel=litum, tyrannide quoque potiturum, his uer=siuorem esse: qui uero tametsi intelligerent, ta=men subtilescerent, his fortiorem esse. At ille cum
impe-*

impertrasset copias, tyrannidem occupabat. Solon uero ante domum suam sedes, protendebat scutum et hastam, inquiens, se arma sumpsiisse ad assertendam patriam, quoad posset. Cum iam etate minime par esset ad agendum ducem aut militem, tam animo patriæ fauebat. Nihilominus tamen Pisistratus, seu reverentia tanti uiri et sapientia, seu recordatione adolescetie prohibitus (dicitur enim amasius fuisse Solonis) nullo eum damno affectit. Solon uero paulo post, ad decrepitam usq; senectutem etate proiectus, uitam cum morte commutauit, magnamq; sapientiae et fortitudinis laudem sibi reliquit. Atq; in honorem eius ænea statua in foro posita est, sepultusq; publicè, iuxta portas mœniorum, ad dextram introitus, edificatumq; est ibidem monumentum.

De Oenycino Zanclorum monarcha.

Oenycinus Scytha, Zanclorum rex, cum ad Darium ascendisset in Asiam, omnium hominum, qui ex Gracia uenerant, existimatus est ab illo instans esse, eo quod in Siciliam ad regem profectus esset, pacis exposende causa, rursumq; in Sicilia retrorsum ad regem iter fecisset. Sed id Democedes Crotoniata non fecit: et ob hanc causam malo cum epitheto Darius affectit, uerisipellem, uafuisse et perficere.

¶ pessimum hominem appellans. Scytha igitur in Persia summa cum felicitate, usq; ad mortem etatem egit.

De Euthymo & Temesense heroë, & proverbio.

Euthymus Locrensis omnium Italie pugillatorum facile princeps, corporis robore incredibili & immenso admirabilis fuisse creditur. Locri enim lapidem ostendunt magnitudine maximum, quem portauit, & ante fores posuit: atq; Temesensi heroi, qui tributum ab accolis exigebat, hanc potestatem eripuit. Accedens enim in delubrum eius, quod uulgò inaccessum erat, cum ipso certamen iniuit, coegitq; multo plura, quam predatus fuerat, rependere. Unde proverbiū manauit, quod de ijs qui inutiliter lucrantur, dicit, uenturum ad eos Temesensem heroë. Euthymum uero, cum descendisset ad flumen Cæcum, quod præterlabitur ciuitatem Locrensum, non amplius in terris uisum esse perhibent.

Epitaphium sepulchro Anaxagoræ insignitum, & eiusdem ara.

Ἐνθάδ' ὡς πλεῖστοι αἰλυθέας εἴπι τέρματα περήσσας
Οὐρανίου νόσμου νεῖται οὐραξαγόρας.

Item positum est ei altare, inscriptumq; est hoc quidem Intelligentia, illud autem Veritatis.

AELIA=

AE L I A N I
AB LIANI VARIAE HI
storiae Liber nonus.

Quod Hieron doctrinam comple-
xus, & singulari in omnes libe-
ralitate, peculiariis in fra-
tres amore fuerit.

Hieronem Syracusium aiunt Græce literati
ræ fuisse perstudiosum, et plurimi doctrinæ
fecisse. item ad largienda beneficia propensissimum
fuisse, multoq; promptiorem in dandis, quam pe-
tentes in accipiendis. Erat autem laudabilis animi
magnitudine præditus, & sine omni iurgio fratri-
bus tribus numero conuersatus est, mirumq; in mo-
dum tum ippos amauit, tum ab ijsdem mutuo amo-
re habitus est. Eadem ratione cum Simonide uixit,
& Pindaro. neq; Simonidē impediuit senectus pro-
funda, quo minus ad eum ueniret. Erat enim Cœs
auidissimus pecunie, magisq; ipsum commouit
Hieronis munificentia, ut fama est.

De Taurosthenis uictoria.

Vno eodemq; die uictoria Taurosthenis ex O-
lympia Aeginā nunciata est ipsius parenti, ut alij
affirmant, per spectrum. Alij uero dicunt Tauro-
sthenem columbā à suis pullis madidis adhuc et in-
uolucribus abstractam secum deportasse: cumq;
uiciisset, purpura amictam eam remisisse, eamq;
summa

*Sic sema cum festinatione ad pullos properantem
eodem die ex Pisa in Aeginam aduolasse.*

De quorundam & Alexandri deli- cijs atq; superbia.

Alexander suos familiares & socios, permis-
sione luxus & luxuriae corrupit. et Agnon aureos
clavos in crepidis gestare solebat. Cletus uero, si
quando tractare causas uellet, purpureis uestibus
induebatur, atq; sic apparebat coram ijs qui nego-
tiis sua ipsi proponerent. Perdiccam uero & Cra-
terum deditos arti pugillandi, sequebantur stadia-
les magnitudine, diphtherae, quibus amplissimum
locum comprehendebant in castram etationibus,
ut in eo se exercent. Sequebatur etiam eos mul-
tus puluis, per iumenta uectus, qui ad exercitio-
rum certamina pertinebat.

Leonnatum & Menelaum, uenandi studio de-
ditos, aulæ & centum stadiorum sequebantur. ipsi
uerò Alejandro tabernaculum erat centum men-
sarum, quinquaginta columnis interstinctum, qui-
bus tectum suffulciebatur. Ipsum uero tectum e-
rat inauratum, & magnifica arte uarietateq; con-
ciunatum. Atq; primi stabant circa ipsum interius
Perse, qui dicebantur Melophori, purpureas meli-
nasq; stolas induti. Post eos sagittarij mille, flam-
mei, atque byssinei coloris uestibus amicti. ante
hos

hos centum scutati Macedones, cum scutis argenteis. In medijs uero castris aurea sella ponebatur, in qua sedens Alexander, causas solebat cognoscere, circumcingentibus undequaque satellitibus corporis. Ambibat autem castra circuitus, quem tenebant mille Macedones, & Persarum decem millia, neque quisquam facile ad regem accedere audebat. Magnus enim timor existebat ex eo, quod superbia & fortuna in tyrannidem translatus esset.

De diligentia Polycratis in audiendo Anacreonte, & zelotypia.

Polycrates Samius frequentem operam musis nauauit, & Polycratem Teium fecit plurimi, sed loquaciter adhæsit, & delectatus est tum ipso, tum eius carminibus: ueruntamen luxum eius non possum laudare. Anacreon Smerdiam Polycratis amasim, seruentiore praeconio in coelum usque euixerat: quia laude plurimum gaudens adolescens, colebat inter primis & obseruabat Anacreontem, qui magnis amore solertiam & indolem eius, non autem corpus prosequebatur. Nemo enim per deum immortalem, hanc calumniam impingat Teienfi poetam; neque eum intemperantie aut incontinentiae arguit. Polycrates uero commotus zelotypia, quod Smerdiam amaret, et poetam a puero redamari iudicaret,

deret, adolescentem rasit: et illi quidem turpitudinem, Anacreonti uero dolorem, ut ipse putabat, attulit. At ille disimulans prudenter callideque se Polycratem accusare, transstulit crimen in adolescentulum: obiecitque ei audaciam et inertiam, quod contra suos ipsius crines arma sumpsisset. Verum carmen suum de capillorum hoc incommodo, cantet ipse Anacreon. Nam id multo prestatuerit, quam si ego faciam.

De Hierone & Themistocle.

Themistocles Hieronem cum equitatu uenientem ad ludos Olympicos, uetus certamen spectare, dicens: Eum qui maximi periculi se socium non prebuisset, non equum esse, ut communis conuentus particeps fieret: et ob eam rem laudem est assecutus Themistocles.

De Pericle, & filijs eius pestilentiā mortuis.

Pericles, cum gravante pestilentia liberos amississet, fortissime tulit eorum mortem: autorique fuit Atheniensibus, ut omnes facilius ferrent interitum amicissimorum quorumvis.

De Socratis, in omnibus rebus, animi constantia.

Xantippe dicebat, etiam mille perturbationibus tempore obruentibus, tamen omni tempore Sokratem

cratem, eodē uultu siue domo egrederetur, siue rediret domum, uideri. Nam ad omnia mentem benignam hilaremque prae se ferebat, longeque à dolore remotam, ex omni metu superiore.

Dionysius libidinis in mulieres incontinens.

Dionysius iunior in Locrensum urbem ueniens (Doris enim ipsius mater Locrensis erat) maximas ciuitatis domus occupauit, easque rosis, scarpulis, alijsque id genus floribus stravit: ex filias Locrensum accersebat, atque rem cum eis habebat intemperantissime. cuius flagitijs nefandam spurcitionem non impunè tulit. Cum enim regnum ipsius per Dionem esset sublatum, tum Locrenses uxorem Dionysij unam cum filiabus prostituerunt, sineque intermissione stuprum eis intulerunt, praesertim qui affinitate uel cognitione cum ijs uirginibus, quas Dionysius corruperat, erant coniuncti. Cum uero libidinem in eis expleuissent, compunctas acubus intra digitorum unguies, interemerunt, ossaque in mortarijs contuderunt, ex carnes ab ossibus abstractas si quis non comedisset, eum diris deuouerunt. Quod uero reliquum ex ipsis esset, mari demerserunt. At Dionysius Corinthi, multas uariasque uitæ uiciositudines expertus, ob extreman mendicitatem, tandem stipem ab hominiibus

Bis cogendo; tympanaque pulsando, et modulando uitam exegit.

Quod & Demetrius incontinentis fuerit.

Demetrius Poliorcetes, cum obsidione cepisset urbes, abusus sua luxuria, talenta mille et ducenta singulis annis ab ijs exegit: atque huius summae minimam partem in exercitum insumebat, res liqua in libidinem luxuriamque conferebat omnia. Vnguentis tum ipse, tum pavimentum eius diffubebat, et singulis anni partibus flores recentes ejus substernebantur, ut in ipsis aëstigia poneret. Erat etiam immodicus erga mulieres, et adolescentium amores ancupabatur. Maximam sui ipsius curam gerebat, in uenustate conseruanda comparandaque. Nam et capillos decorè pectendo disponebat, et rufos faciebat, faciemque inungebat: itemque alijs uagantis utens, summum studium sue inertie impendebat.

De Platonis uitæ contemptu.

¶ Plato, cum Academia diceretur locus esse pestilens, et medici consilium darent, ut in Lyceū scholam transferret, ne quaquam obtemperauit, dices: Sed ego producendæ uitæ causa, ne in Atho quidem summitatem transmigrare velim.

AE L I A N I
De Parrhasio pictore.

Parrhasius pictor, quod purpuram gestare,
caputq; aurea corona redimire solitus sit, cum dij-
testantur, tum etiam epigramma plerorum
eius imaginum. Certauit quodam tempore Sanu,
inciditq; in aduersarium, non multo se inferiorem,
atq; superatus est. Propositum autem quod in me-
nus sumpserant, erat Ajax dimicans cum Ulysse,
pro Achillis armis. Victus Parrhasius, urbanè re-
spondit cuidam condolenti ex familiaribus. Dice-
bat enim, se quidem parui pendere uictoriam: con-
doleret potius filio Telamonis, qui in eadē re bis
iam aduersario fuissest inferior. Ut ebatur baculo,
circum serpentes aureos racemos habente, aureis
fibulis superne calceamenta constringebat. Aiuat
eum sine omni molesta ex labore in suo opificio
uersatum esse, sed alacri faciliq; animo: quoniam
cecinit, et modulis labore artis mitigare leuaret
solitus est. Refert hæc Theophrastus.

De Epicureis expulsis ab Roma-
nis & Messenijs.

Romani Alcaum ex Philiscum Epicureos ex
urbe eiecerunt, eo quod multarum, flagitosarūq;
libidinum autores esset adolescentibus. Etiam Mes-
senij Epicureos expulerunt.

De

De Dionysij uoracitate, & pinguedine.

Dionysium Heracleotam filium Clearchi, fama est ex quotidiana uoracitate luxuq; paulatim se ipsum nimia carne ac pinguedine impleuisse. Immensa igitur corporis crassitudo, et carnis incrementum, spirandi facultatem ei adimebant. Medici uero hoc ei remedium illius morbi prescriperunt, ut tenuissimis acubus ad hunc usum paratis, latera transmitteret, easq; per uentrem impelleret. Id negotium alijs datum est: et donec acus carnem agnatam, et quasi alienam transfoderet, ille non aliter iacuit quam lapis. Cum uero transisset eò, ubi ualidum erat et genuinum corpus, neq; ex nimia pinguedine ascititum, tum persentiscebatur, et ex somno excitabatur. Quod si quando negotia hominum audire, iuraq; dare uellet, cistam corpori pretendit (quidam uero non cistam, sed parvam turrim affirmant fuisse) ut reliqua partes occulerentur, solaq; facies superemineret: atq; sic cum ijs collocutus est. Pessimam mehercule uestem illam induitus, magisq; bellue uallum atq; praesidium, quam boni uictus amictum.

De Philetæ corporis macie.

Philetam Coum aiunt macerrimo corpore fuisse. Quoniam igitur quavis occasione facile sub-

ueri potuit, ferunt cum ferreas habuisse soleas in calceis, ne à uentis prosterneretur, si paulo durius cum afflassent. Quod si sic fuit imbecillus, et omnium virium impos, ut spiritui non posset obductari, quomodo tandem potuisset magnum aliquod onus sufferre? Mibi sane dissimile uero esse uidetur: attamen quod legi et cognoui, id in medium attuli.

De Homero.

Argivi poetæ totius primam Homero palam tribuebant, ab eo reliquos omnes secundos ponebant: et si quando rem diuinam facerent, in hospitalijs inuocabant Apollinem et Homericum. Fertur preter hac etiam illud, cum incertus esset, quomodo cui ue filiam elocaret, dotem ei Cypria carmina dedisse. Cuius rei testis etiam est Pindarus.

De Italia, & Mare qui fuit Hippomiges.

Italiam primi Aufones inhabitarunt, indigenæ. Antiquissimum in ea virum asserunt fuisse, nomine Marem, cuius anterior facies homini, posterior equo similis fuerit: id quod Græcis sonat Hippomiges. Atqui mea quidem hæc est sententia, quod cum primùm omnium ascendisse equum, et freno moderatum esse, atq; coercuisse putem: atq; ob eam causam duplicitate naturæ creditum esse. Fan-

balantur

balantur cum centum & uiginti tres annos in uis
egisse, ex ter à morte reuixisse: quod mihi ter
ueritati repugnare uidetur. In Italia permultos
variosq; populos habitasse ferunt, atque totidem
propemodum, quot in reliqua uniuersa terra:
cam potissimum ob causam, quod omnium anni
partium in ea sit moderata tempestas, quod regio
bonitate telluris excellens sit, ex aquis irrigua, fer-
tilisq; omnium fructuum, atq; compascua, itemq;
quod fluuijs perfusa, mare quoq; commodum ad-
iectum habeat, portibusq; ex omni parte interstin-
cta, ex impellendis soluendisq; nauibus idoneis lo-
cis. Sed ex inhabitatorum singularis benignitas &
mansuetudo, multos pellexit, ut in eam suas sedes
transferrent. Adhaec aiunt, ueterum memoria mil-
le centum & nonaginta septem urbibus Italiam
reditam atq; ornatam fuisse.

De lactantia ac leuitate De- mosthenis.

Leuitatis redarguere Demosthenem uidetur
bac fama, que de ipso diuulgata est, quod aquam fe-
rentes eum fastu impleuerint, cum ipso præterea-
unte susurrarent. Nam etiam illis titillatus est, &
sustulit sese, ut quis'nam esset, conspici posset, si
quando plausu eum concio afficeret.

De Themistocle.

k 4

Themis

Themistocles Neoclis filius seipsum querubus comparabat, quoniam illis proteguntur et opus habet mortales, si ingruat pluvia, tegimenque; ramorum appetunt. Quod si serenus aer sit, accedentes, uellicant eas, et ramis corticibusque; denudant. Idem dicebat, Si mihi quis duas vias monstraret, alteram ad infernum ducentem, alteram ad tribunal, multo libentius ingrederer eam que recta ad infernum tenderet.

Quod Demosthenes, uocante Diogene in cauponam, introire recusarit.

Diogenes quodam tempore prandium in capona sumebat: cumque; uideret pretereuntem Demosthenem, eum inuitabat. Qui cum renueret, Pytas, inquit, o Demosthenes hoc esse tibi dedecori, si in cauponam ingrediaris, cum nulla dies pretereat quin dominus tuus intrò ueniat: populum intelligens, et de plebe singulos. quoniam concionatores et oratores, multitudinis quodammodo serui existunt.

De Aristippò.

Aristippus cum nauis uetus procellis impetibus supra modum perturbaretur, quidam ex ijs qui simul nauigabant, Num ne, inquit, etiā tu metu percelleris, quemadmodū vulgus? At ille, Prorsus, ait,

sit, neq; iniuria. Vobis enim de vita scelerosa infeliciq; labor est, et præsens periculum, mihi uero de felicitate atq; beatitudine.

De Theramene.

Theramenes cum in quadam domo uersatus, unde prodijisset, illa subito lapsu corruit. Atq; cum reliqui Athenienses alij aliunde ad eum confluarent, ex inopinata saluti congratularentur: ille preter omnium opinionem respondit, O' Iupiter, cui nam me tempori reseruas? Nec multo post a triginta tyrannis de medio sublatuſ est, coactus cicutam bibere.

Qui nam in arte medendi stu- dium posuerint.

Fama est, Pythagoreos summum studium nascutionemq; medicandi facultati impendisse. Plato etiam plurimum curæ in eam contulit. item Aristoteles, alijq; innumerabiles.

De Aristotele ægrotante.

Aristoteles cum morbo teneretur, ex medicus ei præceptum quoddam iniungeret: Ne, inquit, me cures uel ut bubulum, uel ut fossore, sed prius causam edissere: sic enim facili persuasione me morigerum reddideris. docens his, nihil sine causa temereq; profrendum esse.

De Smindyridæ delicijis.

h s Smine

Sinindyrides Sybarita adeò in luxuriam molitiemq; prolapsus est, ut cum omnes Sybarite de licijs uacarent, uitaq; diffluerent, hic omnes longe post tergum relinqueret. Proinde quodam tempore, in rosarum folijs recumbens, somnumq; in ijs carpens, expergefactus dixit: Se tu tera ex nimia lecli duricie inflcta habere. Quomodo hic uel humi, uel in stragulo, uel in gramine collis alicuius acclivis cubare potuisset, uel etiam in pelle tauri, ut Diomedes, qualis lectus decet militem fortem et generosum, substratamq; habuisse pellam bubalam & agrestem.

Quomodo se Pisistratus erga suos ciues gesserit.

Pisistratus cum in regnum esset electus, accessi iussit eos qui in foro deambulando atque otando tempus tererent: & interrogauit, num qua causa esset ipsis in foro oberrandi. simulq; dixit, Si tibi boves aratores mortui sunt, de meo cape rursum alios, atq; ad labores te confer: si egenus & inops es seminum, de meo dentur tibi. ueritus, ne horum otium, insidias aliquas pareret.

De Zenone & Antigono.

Zenonem Cittensem summa uerecundia pre citoq; habebat rex Antigonus. Accidit igitur, ut ali quando mino supra modum impletus, obuiam Zenoni

noni fieret: quem exosculatus est atq; amplexus, ut temulentus. petijitq; ut sibi quid iuberet: et interposito temere sacramento, confirmavit se praestitus rum quicquid postulasset. et ille dixit ei, Abi et euome. graui sapientiq; reprehensione simul temulentiam eius taxans: simul uero cauens, ne nimia commessatio potatioq; ei nocumentum adferret.

Ingenuitas morum & ingenij.

Hominem Laconicum, sed ruri agentem, quia dam obiurgauit, quod prorsus fletui et lacrymis ex intimis uisceribus manantibus indulgeret. At is liberè, reiectaque omni dissimulatione, respondit: Quid facerem? inquiens. non enim ego, sed natura mea mibi lucrum excutit.

De Diogene.

Spartanus quidam hoc Hesiodi carmen laudibus a i cœlum efferebat, quod ita habet:
 Καὶ τὸν βοῦς ἀνόλογον, εἰ μὴ γέτωρ κακὸς εἴη.
 Non uel bos pereat, nisi uicinus malus adsit.

Idque audiente Diogene, qui, Atqui(inquit) Messenij cum bobus suis perierunt, et uos illorum estis uicini.

Quod Socrates ut timorem, ita dona uilipenderit.

Socrates aliquando, nocte iam ingruente, recuerterebatur à cena. Adolescentes igitur scelerosi et nequa, cum

cum cognouissent eum redire, clam expectarunt in insidijs, cum accensis facibus et furiarum laruis. Moris autem erat eis, etiam ceteros homines ludificari, atq; otium, quod daretur, in prauissimas eiusmodi ineptias conferre. Socrates uero cum eos aspexisset, nihil perturbatus constituit, et suo more interrogationes in eos intendit, quemadmodum in alios etiam in Lyceo, uel in Academia solebat.

Alcibiades ambitione quadam munificus, complura, magnaq; munera Socrati dono misit. Cum ergo Xantippe admiraretur donorum amplitudinem, et ea cuperet accipere, Socrates dixit: Sed et nos certemus liberalitate cum Alcibiade, et ea que mittuntur ab ipso non capiamus, quadam munificentia. Item cum quis illi diceret, magnum esse, compotem eorum fieri quea cuperet: respondit, Sed multo maius est, ne cupere quidem ab initio:

De uaticinatione Anaxarchi.

Anaxarchus cum irruente tempestate, cognovisset ante Alexandrum lignis uacuum locum castris capturum esse, omnibus uasis et suppellestili instantiis defossa, calones lignis oneravit. Cum igitur ad eum locum uentum esset, et ligna deficerent, omnes Alexandri mensae comburebantur, ut se se calefacere posset. quodam nunciante, apud Anaxarchum ignes extare, contulit se ad ipsum, et in Anaxarchi scena se calefecit: audiensq; prouidentiam,

videntiam, collaudauit: ex que abiecerat, duplo restituit, tum uasa, tum uestes, quoniam ipsius ignis fuerat usus.

De athleta, qui cum uicisset, antequam coronam acciperet, expirauit.

Athleta Crotoniata, cum uictor ē certamine Olympiorum discederet ad Hellanodicas, ut corona protiretur, deficiens anima mortuus est, cum repentina lapsu.

De Phrynae lupæ, & Cimonis equorum imaginibus.

Phryne, que corpore quæsum fecit, imaginem Delphis in sublimi columna Græci erexerūt. Non autem simpliciter dico Græcos, ne uidear omnes illos in crimen uocare, quos omnium maximè amo, sed qui erant ex Græcis scelerosissimi. Status uero constabat ex auro. Item Cimonis æneæ equæ, prorsus ad equarum eius imaginem conuenientes, extiterunt Athenis.

Adolescentuli responsio, cum interrogaretur à patre, quid disceret.

Adolescentulus quidā Eretrieus Zenonis scholam literarum causa longo tempore frequentauit. Reuersum pater interrogauit, quid nam sapientie

entiæ didicisset: qui cum se oftensurum dixisset, vni dignatus pater, uerbera ipsi inflixit. At ille modeste patienterq; ferens, Hoc ipsum (inquit) didici, ne iram patris moderate ferrem.

De splendide uestitis.

Diogenes cum uenisset Olympiam, & Rhodiacos quosdam adolescentes uideret preciosis magnificisq; uestibus amictos, cum risu inquit: Hoc nihil est præter fastum. Deinde cum incideret in La cedemonios laceris squalentibusq; tunicis amictos: Hec (inquit) longè alia est superbia.

De Antisthenis ob lacerum pallium arrogantia.

Socrates, cum uideret Antisthenem attritam partem uestis semper in conspectum pretendere: Quin definis, inquit, arrogantiam tuam nobis prodere?

De Antigono & psalte:

Psaltes quidam apud Antigonum artis sue spicimen edebat. Cum uero sepius Antigonus diceret, Constringe Netem, et rursus Medium: indignatione commotus respondit, Auertant o rex, à te dis malum hoc, ut me melius atq; exquisitus hanc artem teneas.

Quomodo Anaxarchus riserit Alexandrum, qui seipsum in dijs numerari uolebat.

Anaxarchus cognomento Eudemonicus, ridebat Alexandrum, quod seipsum deum faceret. Cum autem aliquando in morbum incidisset Alexander, et ei medicus sorbitonem imperaret fieri, ridens Anaxarchus, inquit: At nostro deo spes omnis in sorbillatione patellæ posita est.

De Alexandro, & lyra Paridis.

Cum Alexander uenisset Ilium, et onnia stadios oculis contemplaretur, quidam Troum accedens, monstrauit ei lyram Alexandri. Et ille: Maioris plurisq; inquit, facerem, hac Alexandri, si mihi lyram Achillis posses ostendere. Desiderabat enim strenui militis supellectilem uidere, qua ipse fortium virorum laudes cecinisset. Paridis uero lyra quid cecinit aliud, quam adulterijs accommodata carmina, et foeminis captandis demulcendisq; magis conuenientia?

De ridiculis & absurdis amoribus.

Quis est tam stupidus, qui non hos amores, et ob stultitiam ridendos, et ob absurditatem ultuperandos putet? Primum Xerxis, quod platani amore capiebatur. Deinde cuiusdam adolescentis Atheniensis, summo loco nati, qui statuam Bonæ fortune ad Prytanicum stantem, deperibat: et sepe in coma

in complexus eius se insinuans, oscula dabat : atque inde raptus in furorem, oestroq; percitus, propter cupiditatem, in senatum ueniebat, et enixè roget, ut sibi eam liceret emere. At cum nihil prefigeret, multis regijs sertis et coronis imagine corona nata, oblato sacrificio, ipsaq; precioso uestitu exornata, profusis innumerabilibus lacrymis ipse sibi mortem consciuit.

Glaucam cithariftriam alij ferunt canem, alij anatem, alij anferem adamasse. Solis etiam, que Cilicie urbs est, Xenophontis filium aiunt canem desperuisse. Item deformem puerum Spartæ monedam in delicijs habuisse.

De gubernatoribus nauium Carthaginensium.

Carthaginenses duos rectores singulis nauibus decernebant, non conuenire dicentes, ut cum duo gubernacula nauis haberet, quod nauigantibus utilissimum esset, et primas in tuenda naui teneat, id solum uacuumq; seffore et moderatore res linqueretur.

De Pausania & Simonide.

*Cum in quodam conuiuio Simonides adesset, aiunt Pausaniam Lacedæmonium, qui una epulabatur, iussisse, ut aliquid è sapientiae præceptis de promptum narraret: et Ceum illum arrisiße, atq;
Memen*

Memento te hominem esse, dixisse. Id Pausanias tunc temporis non magnopere curauit, et nihil fecit, captus iam superbia, eo quod ad Medorum partes se applicuisse: et elatus ob hospitiij ius, quod ei cum rege intercedebat: forsitan etiam uino depulsus a sede rectae rationis. Cum uero iam esset in Chalceooco, et cum fame luctaretur, iamque calamitosissimam omnium mortem ob oculos cernere, tunc in mentem ei uenit Simonidis, et termagna uoce exclamauit: O' Cee hospes, magnum quiddam in tuo sermone inerat: ego uero inani persuasione sum adductus, ut eum nullius momenti putarem.

De Artaxerxe & Dario.

Cum Artaxerxes interfecisset maximum natum filium, Darium ob insidias, quas patri intenderat: secundus ab illo, iubente patre, stricto acinace, sibi ipsi uim ante regiam attulit.

AE LIANI VARIÆ HISTORIÆ LIBER DECIMUS.

De Pherenice ad spectandos Olympiorum ludos admissa.

Pherenice filium suum ad Olympia certaminis causa adduxit: et cum Hellanodice promicerent eam a spectaculo ludorum, ad ius cum ipsis

his descendit, dicens se patrem habere uictorem Olympiorum, atq; tres fratres, itemq; filium adduxisse pugillatorem. His rationibus causam contra populum obtinuit, legemq; que fœminas à spectaculis arceret, infregit, et Olympia spectauit.

De continentia Eubatae.

Lais cum Eubatanam Cyrenensem applexisset, ardenterissimo in eum amore cœpit flagrare, et de contrahendis inter se mutuo nuptijs, sermonem ei detulit. At ille metuens eius infidiss, recepit sepe id fecit. Non tamen negotium aut rem cum illa Eubatas habuit, sed castè sobrieq; se gefsit. Sponsio uero his conditionibus facta est, ut post ludos certamenq; rata deberet esse. Cum igitur uictor abiget è certamine, ne conuentis non stetisse uidetur erga fœminam, picta Laïdis imaginem depontauit secum Cyrenam, inquiens se Laïdem ducere, et pacta non præterire. quam ob causam mulier que ipsi nupserat, maximam statuam Cyrene pondam curauit: sic remuterari uolens ipsias castitatem, et modestiam.

De quorundam animalium proprijs naturis.

Perdicum pulli simulac pedes exeruerant de integumento, uelociſimi sunt ad currendum. Et anatum pulli statim post partum natant. Et leonum

hunc catuli, matrum uteros stimulant unguibus, ad lucem festinantes.

De Alexandri in rebus conficiendis celeritate.

Alexander, Philippi filius, terdecem stadijs continuo itinere consecutis, antequam quietem caperet exercitas, cum hostibus conflxit, et eos uicit.

De tyrannis, ex Aesopi scriptis.

Phrygium olet hic sermo: est enim Phrygus Aesopi. Suem, si quis eam comprehendat, uociferari, idq; non temere. Etenim cum neque lanam portet, neq; quicquā aliud eius generis, statim conjectura mortem augurari, scientem, seipsam usui esse uentibus. Similes autem mihi uideri solent suis tyranni, qui semper in suspicioibus & metu uersantur, cum sciant sicut fues, suam uitam solam omnibus deberi.

De uiris exilibus & macris.

In uulgo ab ijt horum uirorum nimia tenutas: Sannyzionis comici poete, Meliti tragicorum, Cinesie circularium saltationum poetæ, & Philetæ Heroici. Archestratus uero uates captus ab hostibus, & ad lanceam appensus, illuentus est habere pondus unius oboli, ut aiunt. & Panaretus tenuissimo

simo quidem erat corpore, ueruntamen sine omni morborum contagio uixit. Dicunt etiam, Hippo- naclum poetam non solum exigua breuiq; statu- ra, uerum etiam deformi, exiliq; specie fuisse. Sed ex Philippides, de quo loquitur Hyperides, tenui- simus fuit, ita ut in proverbiū abierit: ut cum at- tenuatum aliquem dicere uolumus, eum περιπλα- πᾶσθαι, id est, Philippum factum esse dicamus. Te- stis est Alexis.

De quibusdam Astrologis, & anno magno.

Oenopides Chius, Astrologie cum primis pe- ritus, cum dedicaret in Olympijs legum tabulam, inscripsit in ea astrologiam quinquaginta nouem annorum, affirmans hunc esse magnum annum.

Meton Lacedæmonius, astrologie peritus, co- lumnas statuit, ex in eis solis cursum annotauit, atque magnum annum (ut ipse dicebat) adiuuenit, quem intra nouendecim annorum curriculum conclusit.

De beneficijs.

Aristoteles Cyrenensis dicebat, non oportere beneficium oblatum à quoquam recipere: aut enim ut rependere posset, molestias habiturum: aut si non referat, in ingratitudinis reprehensionem in- cursurum.

Quod

Quòd helluo fuerit Philoxenus.

Philoxenus gulosus erat, et uentri seruiebat. Cum igitur olla coqueretur in capona, tantisper delectabatur, et seipsum odoris coniuam prebebat. Cum uero magis magisq; ei appetitus insurgeret, neg; iam depravatae nature frenum inidere posset, superatus, o dij immortales, iubat filium ollam emere. Qui cum responderet, cauponem eam magno precio uendere: Hoc suauior, inquit, et iucundior erit, quo maiori precio eam emero. Hec memorie prodenda sunt etiam, non ut ad imitationem eorum inducamur, sed ut fugere et declinare possumus.

De uetus tis pictoribus.

Cum ars pingendi iam ortu duceret, et quodammodo in lacte fascijsq; uersaretur, adeo rudi et impolito stilo depinxerunt animantia, ut ascribere ad ea pictores necesse esset. Hoc est bos, illud equus, hoc arbor.

De Diogene laborante ex humero.

Dolebat Diogeni humerus, ex uulnere credo, uel alia quadam causa. Cum igitur umenti dolore uideretur affici, quidam ex inimicis insultabat ei dicens: Quin igitur mortem obis o Diogenes, et te ipsum

te ipsum his damnis liberat. At ille respondit: Eos qui scirent que in vita fieri dici; conueniret, in vita manere equum esse: in quo genere hominum se ipsum etiam numerabat. Verum tibi, inquit, qui neque quid agendum, neque quid dicendum sit, noveris, opportunum moriendi tempus est. Me uero, qui sciam illa, par est in uinis agere.

Archytæ apophthegma de hominibus.

Archytas dicebat: Quemadmodum si etiam summam diligentiam adhibeas, tamen pisces sine spinis non inuenias: sic neque hominem inueniri posse, qui non dolosum spinosumque quiddam habeat admixtum.

Quod Archilochus seipsum redarguerit,

Critias reprehendit Archilochum, quod ipse de se pessimè sit locutus. Nisi enim, inquit, ipse de se talam opinionem et famam in Græciam intulisset, nunquam utique nos scire potuissimus, neque eum Enippo ferua natum fuisse, neque relicta Paro paupertate rerumque penuria coactum in Thasum uenisse: neque cum uenisset, aduersus hos inimicities gesuisse: neque tam ingenio malitioso esse, ut tanta amicis quam inimicis male loqueretur. Ad hec, inquit, neque eum adulterum, luxuriosum, iniuriosum esse, neque quod

quod est unū ex omnibus turpisimum, scutū abie-
ciisse sciuisse, nisi ipse de se predicasset. Nequa-
quam ita me dīj bene ament, bonus sibi ipsi testis
extitit Archilochus, tale dedecus infamiamq; sibi
concilians. Verūm nō ego nunc haec crimina in Ar-
chilochum conseruo, sed Critias est qui eum accusat.

De pigritia.

Socrates dicebat sororem libertatis esse pigri-
tiam: testesq; huius rei fortissimos, maximæq; li-
bertatis populos adducebat, Indos et Persas, qui
utriq; segnissimi essent ad laborandum. Phrygas
uerò, et Lydos, ad opus faciendum promptissimos
esse, qui cum seruitute degerent.

De ijs qui Aristidis & Lysandri filiabus de matrimonio fidem dederant.

Aristidis filiae, ipso adhuc superstite, matrimo-
nio sibi desponderant Græcorū prestantissimi. Nō
aut Aristidis uitā respexerunt, neq; iustitiā eius su-
spexerūt: quoniā si horū emulatores extitissent, in
posterum etiā sponsione non destitissent. Iam uero
cum ipse exceſſisset ē uita, nullā rem amplius, neq;
familiaritatem cum puellis habuerūt. Posteaquane
enim uita defunctus esset filius ille Lysimachi, pau-
pertas eius cognita atq; in lucē prodita est, que res
illos etiam infortunatos homines à splendidissimis,

clarissimisq; ut mea fert opinio, nuptijs deterruit.
Idem contigit in Lysandro. Cum enim in opem re-
sciuisserent eum esse, nuptijs renunciauerunt.

De Antisthene & Diogene.

Cum Antisthenes multos ad philosophiae stu-
dium inuitaret, et nemo morem ei gereret: tan-
dem indignatus, nemini potestatem audiendi se
permisit. Quare Diogenem etiam à sua conuersa-
tione repulit. Cum uero frequentior et magis assi-
duus esset Diogenes, etiam illum increpuit, mina-
tusq; est, se baculum ei inflicturum: aliquando eti-
am in caput impegit. At ille non recepsit, sed maiori
studio cum quadam audiendi siti institit, inqui-
ens: Tu percutie tantum, ego tibi caput præbebo.
neq; uero tam durum fustum inueneris, quo me à
tuis disputationibus abigas. quod cum audisset An-
tisthenes, intimus ei factus est amicus.

De ihs qui ex reipublicæ guber- natione suam rem au- xerunt.

Critias affirmat Themistoclem, antequam ad
rempub. accederet, trium solum talentorum hære-
ditate paterna rem habuisse: deinde uero cum rens
publici gefisset, et in exilium pulsam bona publi-
carentur, repertas fuisse centum talentorum facul-
tates, quas congesserat. Similiter etiam Cleonem
ante-

antequam rem publicam caperet, non habuisse dignam libero homine substantiam, post uero quin quaginta talentorum rem reliquise.

De Syracusio Daphnide, & bu- colicis carminibus.

Daphnium bubulcum alij perhibent in delicijs Mercurio fuisse, alij filium, nomenq; ex euentis inuenisse. Dicitur enem natus ex nymphâ: et postquam in lucem esset editus, sub lauro expositus. Boues uero quas pauit, aiunt sorores fuisse Solis, quarum in Odyssaea mentione facit Homerus. Cum autem in Sicilia pasceret Daphnis, una ex nymphis eum amare coepit, uenustum pulchrumq; et cum ipso rem habuit cum esset in etatis flore, quo tempore solet pulchrorum adolescentum pubes esse speciosissima, ut alibi dicit Homerus. Pactumq; interuerunt, ut ad nullam aliam accederet: alioquin enim in fatis esse minata est, ut oculis caperetur, si fuisset ea transgressor. Atq; de his mutuò fidē derunt. Aliquis uero diebus post, cum regis filia deperiret eum, uino ineptius, uiolauit fidem, et cum puella commercium agitauit. Hinc Bucolica primum cantari copta sunt, quibus hoc oculorum Daphnidis incommodum materiam dedit. Primus id genus carmina Stesichorus Himeraeus scripsisse traditur.

De eo qui proprios dentes absorbut.

Eurydamas Cyreneus, in cestuum lucta victoriā adeptus est: cumq; ab aduersario dentes effsent ei decusfi, statim eos absorbuit, ne qui contrā luctaretur, anima aduerteret.

De Agesilao.

Rex Persarum de contrahenda amicitia legatos ad Agesilaum misit: qui respondit, fieri nō posse; ut sua priuatim amicitia frueretur. Sin Lacedemonijs communiter omnibus amicus fieret, se quoque in amicitiae ius uenturum, inquit, quandoquidem in omnibus etiam ipse locum haberet.

De Platone.

Platonem in ulnis serebat Perictione. Cum vero Ariston sacra litaret in Hymetto Musis et Nympis, dum obeundae rei diuinæ darent operans, illa Platonem in proximis myrtis, densis et spissis reposuit. Cui repente examē apum Myletti ciuelleris, in os insidentes, cecinerunt: præsignificantes baculum, Platonis eloquentiam et lingue facundiam.

De Dioxippo.

Dioxippus in Alexandri Macedonumq; presentia correpta clava, Corrbagū armatum ex Macedonibus ad certamen prouocauit: et cum ei bastā excusisset, ui rapuit hominem cū armis, et in iacentis

decantis collum ascendit, strictoq; gladio quo cin-
etus erat, armatum interemit. Quamobrem Ale-
xander illum odio habuit. quod cum uideret, ani-
mum despondit: et tristitia moeroreq; confectus, ui-
uere desijt.

AELIANI VARIAE HIS
storiæ Liber undecimus,

De Oricadmo, & arte pu-
gillandi.

ORICADMUS luctæ et pugillationis fuit le-
gislator, suaq; industria Siculum morem
pugillandi (quem uocant) excogitauit.

De Oræbantij carminibus, Da-
retis & Melisandri,

Oræbantij poemata ante Homerum extiterunt,
ut ferunt Trozenij. Item Dares Phryx, ut dicunt,
ante Homerum aliquot seculis uixit, cuius Phry-
giam Iliadem usq; in hunc diem conseruatam in ali-
quo loco scio. Melisander Lapitharum et centau-
rorum pugnam uersibus mandauit.

De Icho, & lucta.

ICHUS Tarentinus luctas exercuit, sobrie per uni-
uersum pugillandi tempus uiuendo, moderatè cibis
uescendo, et à uenere per totam uitam abstinendo.

De caluicie Agathoclis,

Agatho-

Agathoclem Sicilia tyrannum diunt perquam ridiculo & turpissimo capite fuisse. Cum enim parlatim defluentibus capillis denudaretur, pudore ductus myrtlea corona crinem obtexit, que quasi uallum erat, & tegmen caluicie. At crinum defensutio Syracusios nō clam erat, neq; latere poterat. Silentio tamen inuoluere cogebantur, propter impiam & ad audendū projectam tyranni mentem.

De quibusdam iniustè sacrilegī nomine condemnatis.

Cum aliqui sacrificiū Apollini offerrent, Delphi per insidias eos circumuenerunt, & thuri placentisq; clam iniecerunt sanctas pecunias: atque sic comprehensos eos, tanquam sacrilegos, abductos in petram, iuxta legem Delphicam precipites derunt.

De mœcho.

Accidit, ut in oppido Theſpiarum adulteria peretur: atq; cum per forum uinctus duceretur, ali qui ex familiaribus & amicis eum ui eripuerunt. ex quo mota est seditio, magnaq; hominum strages, & infinite cedes factae sunt.

De Lysandro & Alcibiade.

Ethocles Lacedemonius dicebat, duos Lysandros Spartam ferre non posse. & Archestratus Atheniensis dicebat, duos Alcibiades in ciuitate Atheniensiū

nienſium tolerari non posſe. Adeò, tametsi diuerſi
et contrarij, tamen erant intolerabiles.

De Hipparchi morte.

Hipparchus ab Harmodio et Aristogitone
interfectus est, eo quod sororem Harmodij, fortas-
sis dignam ad ferendum deo canistrum more pa-
tria, in Panathenaicis admittere noluerat.

De quibusdam laudatissimis pau- perimisque viris, qui donare re- cipere noluerunt.

Omnium Græcorum clarissimi præstantissi-
mique viri, per totam uitam in extrema mendicita-
te uersati sunt. Quis igitur diuitias laudarit, cum
omnium Græcorum probatissimis viris sorte qua-
dam paupertas per uniuersam uitam adhæserit?
Sunt autem hæc eorum nomina: uelut Aristides fi-
lius Lysimachi, qui multa præclarè domi militieque
gescit, et Græcis tributum imperauit: at ille non
tantum post obitum reliquit, ut exequijs celebra-
dis sumptus esset. Phocion etiam egenus erat, atta-
men cum Alexander mitteret ei centum talenta,
interrogauit, Quam ob causam hæc mihi donat?
Qui cum responderent, quoniam te solum ex om-
nibus Atheniensibus bonum honestumque virum iu-
dicat: Sinat igitur, inquit, me talem esse.

Etiam Epaminondas Polymnidis filius, pau-
per

per erat. Cum autem Iason ei quinquaginta duū talenta mitteret, iniuriam, inquit, mihi facis. Sed quinquaginta drachmas à ciue mutuatus, ut essent prouia tico, profectus est in Peloponnesum. Cum uero nuncium allatum esset, satellitem eius pecunias à captiuis cepisse, Mibi, inquit, da scutum. Tu uero tibi cauponā eme, in qua uiuas. Non enim ultimum pericula subire uoles, cum diues sis factus.

Pelopidas, cum obiurgarent eum amici, quod pecuniae rei ad uitam tuendam conferentis, nullam curam gereret: Et, inquit, me hercule res utilis est, uerum huic Nicomedi: intento digito in hominem quendam claudum et mutilum.

Scipio quinquaginta quatuor annorum spācium emensus, neq; emit, neq; iuendidit quicquam. Adeò paucis fuerat contentus. Cum autem quidam ei scutum eleganter apparatum ostenderet, dixisse fertur: Atqui Romanum ciuem par est in dextra spem ponere, non in sinistra.

Ephialtes Sophonidæ filius pauperrimus fuit: tamen cum amici decem talenta ipsi dono darent, non accepit: Hæc (inquiens) me cogerent, siquidem reverenter uos haberē, aliquid præter ius cōcedere: si minus uos obseruarem, ingratisimū uideri.

De Zoilo.

Zoilus Amphyopolitanus, qui stilum in Homerum, Platonem, aliosq; strinxit, Polycratis fuit auditor.

ditor. Hic Polycrates etiam accusationem scripsit contra Socratem. Zoilus uero ille, canis rhetoricus nominatus est. Erat autem talis. Barbam submissam alebat, caput usq; ad cutem radebat, pallium supra genua pendebat: studiosus male loquendi, serendis litibus operam sedulò dabat: contumeliosus deniq; nequam erat. Rogante quodam erudito uiro, quamobrem omnibus male loqueretur? Quoniam (inquit) male facere cum uelim, non possum.

De Dionysio Siculo.

Dionysius SICULUS medicinae nauabat operam, ex ipse curationes, sectiones, uestiones, & reliqua faciebat.

De placenta Socrati ab Alcibiade missa.

Cum Alcibiades magnam ex pulcherrime confectam placentā Socrati misisset (qualia munuscula solent ab amasijs, amatoribus, ad excitandū amorem dono dari) Xantippe suo more irata, eam de canistro eiectam conculcauit pedibus. His Socrates cum arrisisset, inquit: Nunquid non tu simul carebis ea? Quod si quis putat hæc que dico puerilia, ex nullius precij esse, is sane non noscit, ex his etiam de fortibus ex bonis uiris probationem fieri, si ea nihil pendant, que uulgas ornamenta dicunt esse mensæ, ex nictus anathemata.

De

De viro Siculo acutis oculis
prædito.

Hominem quendam Siculum adeò perspicaci exactoq; uisu in Sicilia fuisse perhibent, ut e Lilybæo usq; ad Carthaginem intentis oculis, nihil fal leretur: ex numerum nauium quæ Carthagine solebant, indicaret, neq; ullam prætermitteret.

AE L I A N I V A R I A E H I-
storiæ Liber duodecimus.

De Aspasia.

Aspasia Hermotimi filia, Phocensis, postquam mater eius cum partu animam simul egisset, in orbitate est educata, atq; in penuria, modeste tamen ex liberaliter. insomnium uero fre quenter apparebat, euenturæ fortune uaticinium præse ferēs, quod viro pulchro bonoq; nuptura es set. Cui adhuc puellæ, enatus est tumor in ipso mento, aspectu deterrimus, atq; tum patri, tum ipsi puellæ summum dolorē afferens. Proinde pater eam ad medicum adduxit, qui se curaturum recepit: sed ea lege, si tres sibi stateres persoluerentur. Cum ille se tantum non babere diceret, medicus neq; se medicinam parare posse aiebat. Atq; hæc summe tristitia, ut uerisimile est, Aspasiae augebant: quæ discedens,

tēns in acerbissimo luctu uersata est: ex speculum
 in genibus tenens, seseq; in ipso contemplata, uehementer doluit. Cum igitur p̄æ dolore non coenasset, plane opportunus eam somnus inuasit, unaq; cum somno columba accessit, ex in mulierem mutata: Bonum animum, inquit, geras, ualeantq; mea
 dici cum suis pharmacis: tu uero rosea sertā Veneris; que iam aruerint, capē, eaq; contrita tuberi impōne. Hęc ubi audisset, ex executa esset, tuber euauit: rurſusq; Aspasia inter omnes pueras, recepta speciosissime deæ beneficio, pulchritudine, formosissima fuit atque in tantum gratijs ditata, ut illius seculi nullam pueram secundam haberet: coma flava, capillisq; paulum crispantibus prædita. Oculos habebat maximos, ex aduncum quodammodo nascitum, aures bteuiores. Cutis tenera, ex uultus color ad roseum accedebat: ob quam causam eam Phoenices, cum adhuc infans esset, Miltō nuncuparūt: Labrā rubicituda, dentes niue candidiores. Plantis etiam pedum ualebat; quemadmodum Homerus pulcherrimā foeminae suo quoddam uocabulo καλλισπύρον nominat. Vocem habebat suauem ex teneram, ita ut ipsa loquente Sirenem audire te diceret: ab omni curiositate muliebris, ex ornatu aliena. Opes enim plerumq; solent hęc subministrare. Ipsa utrō inops, ex ab inope parente enutrita, tibil ornatua, nec sumptus in formam conferebat.

m Venit

Venit autem quodam tempore ad Cyrum filius
Darij ex Parasatidis Aspasia, fratre Artaxerxis,
neq; libens, neq; libenter ipsam dimitente patre,
sed ut coacta, sicuti persepe uenerunt, captis urbi-
bus, cogentibus tyrannis aut satrapis. Vnus igitur
ex satrapis Cyri cum alijs puellis eam ad Cyrum
adduxit, statimq; reliquis omnibus concubinis an-
teposita est propter integritatem animi et morum
uerecundiam, ex carentem omni fuso pulchritudi-
nem. Etiam hoc eam adiuuit, ut præ ceteris amare-
tur, quod singularis esset prudentia. Proinde Cys-
rus eam sæpen numero de rebus incumbentibus in eō
filium adhibuit: ex quotiescumq; sententiane eius se-
cutus est, nunquam poenituit. Cum autem primum
fisteretur Aspasia Cyro, iam iā coenatus erat, et bi-
bere uolebat more Persico. Etenim Perse, postquā
cibo saturati sunt, uino ex propinacionibus indul-
gent, potum tanquam hostem aggredientes. Inter
media pocula igitur quatuor uirgines Graecæ ad
regem Cyrum adducuntur, in quibus etiam Dba-
confis Aspasia erat. Erant autem pulcherrime or-
natae. Nam tres reliquæ ab amicis mulieribus, que
una cum ipsis ascenderat, crinibus erat pexæ, com-
positeq; ex faciem pharmacis unguentisq; unxe-
rant. Itaq; à nutricib. acceperat docimeta, quem
admodū erga Cyru se gerere deberent, quomodo
ad blandiri, et nō refugere si accederet, neq; si tage-
ret,

ret, et grē ferre, ex osculū osculo repensare oportea-
 ret, omnib. deniq; praeceptis et institutis amatorijs
 quibus uti mulieres ad fucandā faciem solēt, instru-
 ete: atq; dia alia pulchritudine superare cōtende-
 bat. Aspasia uero neq; splendida tunica induere uo-
 lebat, neq; magnifico uestitu corpus suū appiciri pa-
 tiebatur, neq; lauare sustinebat: sed gemebunda om-
 nes deos inplorabat Grecos & Eleutherios, pa-
 triis nomen inclamans, seipsum patremq; detestaba-
 tur, seruitutis manifestæ ac certæ signū reputabat
 stolam circa corpus inusitatam, ex apparatum si-
 perfluum: uerberibus ad induendum cogebatur. ac
 tametsi summo cum mœrore iussis eorum uix ob-
 temperaret, tamen coacta est eiusmodi que nō vir-
 ginē, sed scortū decerēt facere. Relique igitur cum
 uenisset, ad Cyru respicere, subridere, lætitia uultus
 p̄ se ferre. Aspasia uero in humum oculos deiico-
 re, ignito quodā et per quam elegati rubore facies
 uniuersa suffundi, oculi lacrymis pleni esse, omnib.
 deniq; gestib. uerecundiā quādā representare. Vbi
 uero rex uississet sibi asidere, reliquæ promptissi-
 me parebat: at Phocis illa dicto audiēs non erat, dō
 nec coacta ui qui eā adduxerat satelles, collocaret.
 Cū aut Cyrus cōrectaret, et cōtēplaretur earū ocu-
 los, genas atq; digitos, reliquæ facile patiebātur. At
 illa nō sustinebat. Si enim extrema manu saltē Cyrus
 attingeret, exclamabat, dicebatq; eū nō impunē la-

turum, si talia fecisset. Ea re supra modum detestatus est Cyrus. ex cum attrahente mamillas, illa surgeret, ex se in pedes coniceret: contra Persarum consuetudinem, ardente amore Cyrus erga ingenuitatem eius flagrare coepit. respiciensq; ad emptorem: Hanc, inquit, solam ingenuam ex corrupta adduxisti. Reliquæ uero tam facie quam moribus sunt impostrices. Quamobrem Cyrus eam plus amauit omnibus, cum quibus unquam constitutinem habuissest. In posterum uero mutuus inter illos amor coaluit, confirmatusq; est: ex usq; adeo increuit, ut propemodum etiam æquabilitas intercederet, neq; quicquam differret a Græcorū coniugiorū concordia atq; modestia. Proinde regis in Asia animus atq; amor, non per Iontiā solum, sed per uniuersam Græciā fama rumoreq; celebratus est: itemq; Peloponnesus sermonibus de Cyro ex ipsa plenus fuit. Ad regem etiam magnum hæc gloria peruenit. Creditum est enim, post ipsam, cum nulla muliere rem habuisse regē. Ex his omnibus in mentem uenit Asia in somnijs, columba, uerborūq; eius, ex qua ecunq; dea prædictisset. Quare credit, ab initio se illi curæ fuisse, atq; sacrificia gratificatoria peregit. Primum igitur satis ingens idolum in honorem eius faciendum curauit, quod imagine Veneris appellabat, ex gemmis picturata columbam propter statuit, atq; singulis diebus, sacrificijs

faciis ex supplicationibus benevolentiam ex fauorem deae exposcebat. Patri uero Hermotimo, innus mirabilia splendidaq; dona misit, atq; locupletem eū reddidit. Summa continentia per uitam usa, ut testantur tā Græcorū quām Persarū foemine. Hor mūs aliquādo ex Thessalia Cyro mittebatur, à Scopai iuniore, q Scopæ e Sicilia dono missus erat. Hic portus mirabili quadam arte, uarietateq; cōfectus esse uidebatur. Qmibus itaq; quibus eū ostendisset Cyrus, mirantibus gauisus thesauro, repente circa meridiem ad Aspasiam se contulit: cumq; eam reperisset dormientem, subter uestem insinuans, se se clām acclinavit, ex tacite sineq; strepitu permanēt, donec illa somnum perficit. Quæ cum experre etia uidisset Cyrus, complexa est eum solito more ex consuetudine. At ille extractum de cista portū, monstrauit ei, dicens: Hic certè uel filia, uel matre regia dignus est. cumq; annuisset illa: En, inquit, eum tibi posidendum dono: tu uero cura, ut ē collo suspensum gestes. Quæ non recepit munus, sed prudentissimè respondit: Et quomodo, inquit, au sum, cum hoc donum potius matrem tuam Parastidem deceat? illi igitur mittito. Ego uero uel sine ornamento hoc, tibi collum satis uerustum præstero. Aspasia itaq; prudentissimo consilio, contrarium reliquis regum uxoribus faciens, eas longe superauit. Sunt enim ille rerum ad ornatum mun-

m 3 dumq;

dumq; pertinentium plus aequo studiose. Hoc responso delectatus Cyrus, Aspasiā uehemētius amuit: et h.ec facta dictaq; singula in epistolam conscripta, ad matrem unā cum portu misit. Et Parac satis accepto munere, non tam propter missum donum, quām propter aurum gauisa est, et ob hec maximis regijsq; muneribus Aspasiā remunerata est. Hoc enim summam ei beatitudinem faciebat, quod tametq; uel sola apud filium excelleret. Aspasia, tamen se uellet superari à matre ipsius. Aspasia igitur munera collaudauit, et non indigere se illis dixit, quoniam sibi plurime pecuniae cum munericibus uenissent: sed remisit ad Cyrus, Tibi (inquietus) h.ec usui possunt esse, qui magnam hominum multitudinem alis: mihi uero sufficit, si te simul amem, et ornamento utar. atq; his Cyrus non immunito uehementer commouit. Etenim sine omni controuersia, tum formae pulchritudine, tum etiā magis integritate et nobilitate animi admirabilis hec mulier extitit. Posteaquam uero Cyrus in prælio contra fratrem effet occisus, et Cyri exercitum aduersarij cepissent, illa etiam in manus hostium incidit. Sed requisiuit eam singulari studio curaç; rex Artaxerxes, nomen eius et uirtutem cognitam habens. Cum autem uinctam eam ducerent, excanduit, et huius facinoris autores in uincula coniecit. Iubitq; ipsi magnificentum, splendidumq; uestitū dari. Quid

ni. Quod cum audiisset, cum lacrymis ex gemitu deprecata est: attamen induere stolam à rege donatam coacta est magna ui. Nam summo luctu Cyri obitum deplorabat. Eam cum induisset, omnium mulierum formosissima uisa est, statimq; Artaxerxes ignem concepit, et contabuit. Itaq; primam inter omnes uxores illā habuit, mirificoq; honore prosecutus est. Quare gratū ei facere conabatur, sperans posse se memoriam Cyri ex animo ipsius euellere, et persuadere, ut se non minus illo amaret. Verum tardè seroq; tandem spē potitus est. Etenim confirmata in Cyrus benevolentia, quæ iam in Aſpasia radices egerat, quasi philtru insanabile penitus ipsi infederat. Paucis post diebus Teridates eunuchus mortem obit, formosissimus omnium in Aſia iuuenū, atq; pulcherrimus. Is iam c pueris exaserbat, et in adolescētibus numerabatur. Hic regi potissimum in delicijs fuisse dicebatur. Quamobrē grauiſſima lamentatione ex acerbissimo moerore eius morte affectus est, ac publicus per uniuersam Aſiā squalor luctusq; fuit, omnib. in hoc regi gratificantibus: nemoq; ad regē accedere, uel cōsolacione aliqua dolorē eius leuare audebat. Etenim existimabat fieri nō posse, ut ab hac acerbitate reuocare tur. Exacto demū triduo, Aſpasia uestē lugubrē induita, ueniētē rege ad balneū, stetit lacrymans, oculisq; in terrā despiciens. Qui cū confexisset, con-

sternatus est: causa m̄q; quam obrem aduenisset, regauit. Et illa: Te rex, inquit, lugente moerentemq; consolatum ueni, si tibi sic uisum esset: sin minus, retrogrediar. Quisus hac cura Persa, iufit, ut in thalamum rediens prestatolaretur, donec ueniret. atq; illa mandato paruit. Qui reuersus, uestem euanuchi, supra pullam Aspasie circumdedit: et quodammodo conueniebat ei uestis adolescentis, magisq; splendore forma uenustasq; ipsius hac ratione regi, qui puerum amasset, uidebatur. Cumq; semel his captus esset, rogauit eam, ut sic amicta semper ad se accederet, donec luctus uiriditas et flos exaruisset. atq; illa gratificans ei, morem gesit: sonlaq; ex omnibus Asia non modo foeminis, sed etiam filijs, cognatisq; regem Artaxerxem consolata est, ex tristitia languorem sanavit, acquiescente rege sollicitadini ipsius, et consolationem libenter admittente.

De Musis.

Nemo uel fictor, uel pictor, filiarum Iouis imagines armatas nobis exhibuit. quo significatur, id uitae genus quod in Musis consumitur, placatum simul et mansuetum esse oportere.

De Epaminonda, Daiphanto, & Iolaida.

Epaminondas cum mortiferū vulnus in Mantinensi

tinensi pugna accepisset, delatus in castra uiuus
albuc, Daiphantum accersi iussit, ut ipsum ducem
declararet, quem cum occubuisse dicerent, rursus
iussit Iolaidam uocari. Cum uero ipsum etiam mor-
tuum esse dicerent, suafit suis, ut pacem cum hosti-
bus & amicitiam facerent, eo quod nullum amplia-
us ducem Thebae haberent.

De Sesostride.

Aegyptij dicunt, Sesostridem à Mercurio, sol-
lertiam & consilia didicisse.

De Laide.

Lais scortum, ut refert Aristophanes Byzan-
tius, etiam Axine dicta fuit. Quod eius cognomen-
tum, morum & ingenij feritatem & sauitiam
redarguebat.

De Marij & Catonis pa- rentibus.

Omnium risu digni sunt, qui maiorum item-
mata iactitant. Siquidem in Romano populo, Ma-
rij quidem patrem ignoramus, ipsum uero pro-
pter rerum gestarum magnitudinem admiramur.
Catonis etiam senioris patrem si quis nosse uelit,
multo studio requirat necesse est.

De Alexandro & Hepha- stione.

Alexander Achillis monumentum coronavit,
m s & Hes

et Hephaestion Patrocli: significans, se tanto a more Alexandrum prosequi, quanto Patroclus Achillem.

De Cleomenis dolo contra Archonidem.

Cleomenes Lacon assumpto uno ex familiaribus suis Archonide, eum confortem et adiutorem sui propositi fecit. Iurauit igitur ei, si uoti compos fieret, se omnia cum ipsius capite transacturum esse. Cum uero potitus rerum esset, occiso socio, caput eius executum usi pleno mellis imposuit: et quotiescumque aliquid agere instituisset, oculos in urnam deflexit. atque sic omnia peregit, dicens se pactum non uiolare. neque iuriandum fallere: etenim consilium se cum Archonidis capite capere.

Quomodo sponte discesserit e patria Timeas.

Timeas Clazomenius bene iusteque Clazomenijs praeerat. Etenim uir erat omni uirtutis genere ornatus. Inuidia igitur quae eiusmodi uiris uim adhibere consueuit, etiam in illum suam acerbitatem atque stimulum contulit. Et prius quidem, parum eum inuidia uulgi commouebat. Verum hoc in causa fuisse, quamobrem patriam reliquerit, aiunt. Transibat quando-

dam tempore per scholam, pueri uero dimisi a preceptore ludis operam dabant: cumq; duobus de linea incidisset contentio, alter iurabat, Sic ego Timesij cerebrum discusserim. Hoç audito, ille, putans se in communii omnium hominum inuidia positum esse, et uehementer a suis ciibus odio haberi, siquidem ex pueri odissent, nedum uiri, sponte atque ultrò e patria concessit.

Quod primi excuderint monetam Aeginetas.

Aeginetæ quondam plurimum inter uniuersos Græcos poterant, temporis fertilitatem ex opportunitatem nati. Copias enim nauales possidebant, et erant potentissimi. sed ex contra Persas emicuerunt, et idcirco prima palma eis delata est. ex primi nomisma percusserunt, quod ex ipsis nomen accepit, ut Aeginense nomisma uocaretur.

De Pallantio colle, & Febris templo atq; ara.

Romani sub Pallantio colle, Febris templum ex atra m coædificauerunt.

De adultero in Creta comprehenso.

Adulter

Adulter Gortynæ in ciuitate Crete deprehensus, et in iudicium adductus, criminisq; conuictus, lana coronabatur. Ipsa uero coronatio redarguebat eius mollitatem, timiditatem, mulierositatem. et estimata est ei publice quinquaginta staterum summa: atq; ad turpisimam infamiam redacto, omnes ad gerendam in republica dignitatem uic sunt interclusi.

Quomodo Gnathæna confutauerit loquacem.

Venerat ex Hellefponio ad scortum Atticum Gnathenam, amator quidam, eius fama et nomine permotus. Cum itaq; inter pocula plurima effusaret, et importunus esse uideretur, respondens Gnathæna: Nunquid enim, inquit, tu te ex Hellefponio uenire dixisti: cumq; annuisset: Cur igitur, inquit, primariam inibi ciuitatem ignoras? Qui cum diceret, Et que tandem est illa? Sigeum, respondit. et artificiose hoc nomine, futilem eius loquacitatem coercuit. (*σιγεύς enim silentium et taciturnitas apud Grecos appellatur.*)

De quibusdam uenustate corporis excellentibus.

Amabilitate formæ maximè floruisse dicuntur, apud Grecos Alcibiades: Romanum uero Scipionem, Demetrium Poliorcetam, frunt certasse uenustas.

uenustate. Alexandrum etiam Philippi filium sine curatione formæ speciosum extitisse perhibent. Capillos enim disiectos confusosq; ei pependisse, qui erant flavi. Ferunt etiam, formidabile quiddam in facie Alexandri infuisse. Homerus uero, cum uult significare formosos, arboribus eos cōparat: uelut,
οὐδὲ οὐδέ τις μηρέ τοιον.

De præstantissimis quibusdam uiris, qui cum infantibus colluserunt.

Herculem diuit labores, quos in certaminibus subibat ludicris, alleuasse. Ludebat autem ille Iouis & Alcmenæ filius remissius cū pueris. Sed & Eripides eundem deum introducit, & facit dicentem: οὐδὲ τις μητερόλας γάρ πόνων αἰσθά. id est, ludo, quoniam laborum uiciſſitudo semper mihi grata est. Dicit autem hoc, puerum tenens. Socrates etiam aliquando deprehensus est ab Alcibiade, ludere cum Lamprocle adhuc infante.

Ageſilaus uero arundini insidens, equitauit cū filio suo adhuc infante. & cum quidam risisset, Nunc, inquit, tace: cum uero & ipse pater euaseſt, tunc etiam imitaberis patres. Sed & Archytas Tarentinus reipub. ſimul & philosophiæ ſtudio deditus, factus iam maritus, ſeruis abundans, maxime liberis eoram delectabatur, ex cum ſeruorum

uorum filijs ludicra agitabat: plurimumq; inter epulandum, illorum praesentia delectari solebat.

Quorum uirtuti Alexander insensus fuerit.

Perdiccam oderat Alexander, quod esset bellis celus: Lysimachum, quod militandi peritus: Seleucum, quod magni animi. Antigoni uero ambitio eum offendebat, et Attali imperatoria dignitas, et Ptolemai prosperitas.

De Demetrio in aedes scorti commeante.

Demetrius tot gentium dominus, Lamiae metrericis aedes cum armis et diademate frequentabat. Non exiguam ei turpitudinem attulisset, si tantum eam in suam domum accersiuisset. At ille ipse studiose eam conuenit. Ego quidem pluris fecerim Diodorum tibicinem, quam Demetriu regem: si quidem ille uocatus a Lamia, uenire recusauit.

Quod Phaon formosus fuerit.

Phaonem omnibus hominibus elegantia formae prestantem, Venus in lactucis abscondit. Alij dicunt eum portitorem fuisse, et hoc officium subiisse. Venisse autem aliquando Venerem traixerat uolentem: atq; illum nescientem, quis nam esset, libenter prompteque recipisse, magnaq; diligentia, quo

quō uoluerat, eam auexisse. Pro quibus meritis alabastrum ei cum unguento dea donauit, quo unus Phaon omnium hominum speciosissimus evanescit, atque eius amore Mitylenenses fœminæ capti sunt. Postremò deprehensus in stupro, trucidatus est.

De Sappho.

Poetriam Sappho filiam Scamandronymi, Platonis filius Aristonis, in doctis et sapientibus numeratur. Audio fuisse etiam in Lesbo Sappho aliam metrericem, non poetriam.

De luscinia & hirundine.

Hesiodus testatur lusciniam solam ex omnibus avibus somni expertem esse, seduloq; in uigilijs uersari. Hirundinem uero non prorsus semperq; uigilare, sed dimidium tantummodo somnum perficere. Has autem poenas luunt propter facinus in Thracia perpetratum, in coenam illam illicitam.

De Lacedæmoniorum fœminis.

Lacedæmoniorū matrone, quotquot audiuisserent, suos filios in pugna cecidisse, abire solebāt, et inspicere uulnera tā cominus, quam eminus inflata: et si plura ex aduerso essent facta, cū gaudio, magnaq; quadā granitate, et aspectus toruitate, in maiorum auita

auita monumenta filios deferebant. Sin alio loco
vulnera accepissent, pudore suffuse, lacrymisq;
confite, quam maximè poterant clandestina fuga
descenderunt relictis mortuis, ut in communii sepul-
chro humarentur, aut futtiti surreptos in domes-
tica sepulchra deportabant.

De Titormi & Milonis robore, & de quodam diuerbio.

Milonem, elatum animu[m] ob corporis robur
geretitem, in Titormum bubulum diuinit incidisse.
Cumq[ue] uideret Titormi corpus aspectu pregran-
de, virium eius experimentum sumere uoluuisse. Ti-
tormum uero, se non admodum robustum esse di-
xisse. Cum uero ad certamen descendisset, abiecta
ueste, maximæ molis lapidem primum quidem ad
se traxisse, deinde remisisse, et hoc bis aut ter feci-
sse: tum eum usq[ue] ad genua sustulisse, atq[ue] postremò
sublatum in humeros, usq[ue] ad octo orgias portasse,
et abiecisse. Milonem uero Crotonitatem uix mo-
uere lapidem potuisse. Secundum deinde Titormi
certamen hoc erat. Ad gregem abiit, et statim in
medio, maximum ferissimumq[ue] taurum pede pre-
hendit, qui cum uellet effugere, non ualebat. Alium
item accendentem, attractum pede, similiter tenuit.
Quo uiso, Milo palmas ad cœlum extendit, O` Iu-
piter, inquiens, num hunc alterum Herculem no-
bis

bis dedisti? Hinc ortum proverbiū aiunt, Hic est alter Hercules.

De Celtarum audacia.

Omnium hominū ad subeunda pericula prōmptissimos esse Celtas audio. Proinde in honorem eorum, qui in p̄aelijs fortiter occubuerunt, cantiones componunt, et coronati pugnas ineunt. Sed et trophæa statuunt, simul gloriantes rebus gestis; simul Græcorum more monumenta eorum posterrati relinquentes. Adeò uero ducunt ignominiosum fugere, ut ē corridentibus et incidentibus edibus sepe non effugiant, sed ne ardentibus quidem, ita ut incendio igniq; circumueniantur. Multi etiam fluctuans mare sustinent. Quidam etiam in flutus se ēiiciunt, et eorum impetum excipiunt, protensis gladijs euaginatis, et hastis uibratis, perinde atq; si uel terrere, sed uulnerare possent.

De Smindyridæ ciborum delicijs, et uocacitate.

Smindyridam Sybaritam usq; adeò gula dedi-
tum fuisse perhibent, ut cum procus ambiret Aga-
ristam Clithenis filiam, Sicyonem proficeretur:
et mille coquos, totidemq; aucipes, atq; mille pi-
scatores adduceret.

Quibus multi clarissimi viri adiuto-
ribus & familiaribus usi fuerint.

n Adiutores

Adiutores habuerunt, Vlysses Alcinum, Achiles Chironē, Patroclus Achillem, Agamemnon Nestorem, Telemachus Menelaum, & Hector Polydamantem. Itē quatenus eum seuti sunt Troes Antonem: & Pythagorici, à Pythagora sunt adiuti Democritei fructum ex Democrito percepérunt. Quod si Socratem Athenienses audiuisserent, omni ex parte beati fuissent, si sapientiae operam dedissent. Hieron Dinomenis filius, usus est Simonide Ceo, Polycrates Anacreonte, Xenophonte Proxenus, Antigonus Zenone. Mearum etiam partium esse iudico, non minus meorum facere mentionem, quam Gr̄corum, siquidem ex ego Romanus sum. Et Lucullus usus est Antiocho Ascalonita, & Meccenas Ario, et Cicero Apollonio, & Augustus Athenodoro. Plato uero, qui me multum sapientia uincit, iouem etiam habuisse aliquem à consilijs dicit: quens uero, & quomodo, ab ipso discimus.

De quibusdam ebriosis.

Vinosissimi omnium hominum fuisse traduntur, Xenagoras Rhodius, quem Amphoram vocabant: Heraclides pugil: Proteas Lanice filius, cum Alexander rege simul educatus. Alexander etiam ipse prae reliquis hominib. uinosus extitisse dicitur.

Quod Hercules misericordem & benignum sese erga hostes præbuerit.

Singulari mansuetudine ferunt Herculem in hostes suos fuisse. Primum enim ante hominum memoriam, facto foedere, mortuos suis ad sepeliendum reddidisse, cum eo tempore parum occisos curare solerent, et canibus ad nescendum relinquere, ut inquit Homerus:

Ἐλέωρια τεῦχε νύμισιν, εὐ^τ
ποιοι μέλπινθρα γενέσθαι.

De Leocorio Atheniensium.

Leocorium Athenis vocabatur templum filiarum populi: Praxitheae, Theopae et Eubule. His pro salute et in columitate ciuitatis Minerue occisas esse, fama est, populo eas tradente oraculo Delphico. Dicebat enim, aliter non posse seruari urbem, nisi illae mactarentur. (Aswās populus, nōgīa puella, seu filia.)

Quid dixerit Plato de Agrigentinorum magnificis sumptibus.

Plato filius Aristonis, cum uidereret Agrigentinos magnis impensis edificare, eodemque modo coenare: Agrigentini, inquit, edificant, quasi semper nicturi: et comedunt, quasi semper moritri. Dicit autem Timaeus, eos lecythis argenteis et strigilibus usos esse; mensas totas eburneas habuisse.

De Tarentinorum temulentia, & Cyrenensium luxu.

Tarentinus à summo mane poculis indulgē mos erat, et in medio, plenoq; hōminum foro inebriari. Cyrenenses uero usq; adeò luxu se inquinauerunt, ut cum Platonem accersiſſent, ut sibi leges poneret, ipſe recusarit, propter consuetam ex inde usq; ab initio durantem laſciuiam, et ignauiam. Testatur etiam Eupolis in Marica, contempiſſimos apud eos, et abiectiſſimos decem minarum baltheos habuisse. Mirabili etiam arte ſculpſerunt annulos.

De uarijs Græcorum uinis.

Age recenſebo uobis Græcorum uinorum genera, que fuerunt apud ueteres laudatiſſima, et potiſſimum celebria. Paramneum quoddam appellaſbant, quod erat ſacrum Cereri: et Chium uinum, ab insula ſic dictum: et aliud Thasium et Lesbium. et preter haec aliud Dulce uocabatur, nomine gulfus ſuauitatem referens: et aliud Creticum, et Syracusis Polium, quod ſic nuncupatum eſt ab eius terre monarcha quodam. Bibebant etiam Couni uinum, quod ſic à regione denominabant, quemadmodum Rhodium.

Quid? An uero non haec certa ſunt indicia luxus Græcorum: uinum enim unguento mixtum bibebant,

bebant, et supra quam satis esset aut necessitas postularet, hac mixtione utebantur. Vocabatur autem uinum Myrrhinitum. Meminit eius Philippus comicus poeta.

De Pythagoræ, Empedoclis, Hippiae & Gorgiae uestimentis, & calceamentis.

Pythagoras sanctius alba ueste amiciebatur, et gestabat coronam auream, atque anaxyrides. Empedocles uero Agrigentinus purpura utebatur, et calceis aeneis. Hippiam uero et Gorgiam pureis uestibus amictos, in publico uersatos esse fama est.

Quod Romani Pyrrhi medici, contra ipsum regem insidias non admiserint.

Cineas medicus Pyrrhi, ut perhibent, clam litteras ad senatum Romanum scripserat, quibus pecunias petebat, et pollicebatur se Pyrrhum pharmacis interempturum. At illi promissionem hanc repudiarunt. Etenim Romani uirtute fortes esse dicierunt, non technis, calliditate, uel insidijs honestem debellare. Sed et Cineae consilium sententiam ainq[ue] Pyrro regi aperuerunt.

De Pausaniae & Apellis amoribus.

Cum multi ueterum amores memorie literisq; proditi sunt, tum præ ceteris hi. Pausanias uxore suam uehementer amauit. Apelles uero concubina nam Alexandri, nomine Pancastam, genere Larissam, cum qua primum Alexander rem habuisse dicitur.

De Periandris, Miltiadis, Sibyllis, & Bacidibus.

Duo fuerunt Periandri, philosophus alter, alter tyrannus: et Miltiade tres, unus qui Cheroneum condidit, alter Cypelli filius, tertius Cimoni. Sibyllæ quatuor, Erythrea, Samia, Aegyptia, Sardiana. Alij sex adhuc his addunt, ut uniuersæ sint decem: in quibus numerant Cymæam, et Iudeam. Bacides tres, primus Grecus, alter Atheniensis, tertius Arcas.

De numero filiorum Niobes.

Veteres scriptores de numero filiorum Niobes non uidentur consentire. Homerus sex numerat, et totidem filias. Lasius uero bis septem dicit. Hesiodus nouendecim: nisi uero non sunt Hesiodi illa carmina, sicut multa quoque alia falso ipse attribuuntur. Alcman decem ponit. Minervius uiginti, et Pindarus totidem.

De

**D e A l e x a n d r o i n e g e s t a t e c i b o r u m
c o n s t i t u t o , & q u o m o d o a l i -
q u i u i c i p e r f u m u m
c a p t i s i n t .**

Alexander, cum Beffum persequeretur, reditus ad ciborum penuriam, de camelis ex iumentis, tamen ipse quam milites comedere coepérunt. cumque eos ligna deficerent, crudas carnes deuorabant: sed tamē silphium, quod ibi multum copiosumque erat, adiumentum ad concoctionem præstabat.

In regione uero Bactrianorum milites ipsos uicos ceperunt, eo quod fumo habitarentur, accedentes, ex niuem à foribus auferentes.

**D e e q u i s m o r i b u s q u i b u s -
d a m S a c a r u m .**

Sacarum equi, si qui sessorem excusserit, subiecto consistit, ut rursum ascendere possit. Quod si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: et si illa superior sit, captiuum abducit, atque imperium in eum tenet: si in inferior, regitur ab ipso. Certant autem non de uita, sed de uictoria. Sacae cum in luctu uersantur, in speluncas umbrosas quasdam domos se se abscondunt.

**D e P e r d i c c æ a u d a c i a &
leæna.**

Perdiccas Macedo, qui secutus est Alexandrum

in bellis usq; adeò fuit audax, ut aliquando in spes luncam leæna latibulum solus introiret. Verum leænam ipsam non deprehendit, sed catulos eius secum exportauit: ex magnam hominum admirationem Perdiccas hoc facto meruit. Etenim non solum apud Græcos robustissimum et bellicosissimum animal leæna putatur esse, uerum etiam apud Barbaros. Proinde dicunt, Semiramidem Assyriam, nō si quando leonem cepisset, aut pardalim, similem'ue feram interfecisset, sed si leænam esset nacta, animum extulisse, sibiq; in eo placuisse.

De commeatu, qui sequebatur Xerxem.

Cum alij commeatus magnificentia et ostentatione pleni sequebantur Xerxem, tum etiam aqua ex Choaspo simul uehebatur. Cum uero in loco deserto sitirent, neq; siti remedium ullum inuenirentur, proclamatum in exercitu est, si quis aquam ex Choaspo haberet, ut regi eam bibendam daret. et inuentus est quidam, qui pauxillum haberet, idq; putridum. Bibit igitur illam Xerxes: et cum qui dederat, in benefactoris loco habuit. quoniam nisi illa fuisset inuenta, perijset siti.

De Protogene pictore.

Protagenes pictor, toto septennio in pingendo Ialyso consumpto, tandem summam manum imposuit.

posuit. Eum cum cerneret Apelles, primum substatit mutus, et stupefactus inopinata atque admirabili contemplatione. Deinde respiciens, Labor quidem, inquit, magnus est, et item artifex excellens, uerum operi gratia non inest: quam si homo consecutus esset, labor eius coelum attingeret.

De quibusdam hominibus à feris enutritis, & educatis.

Cyrum Mandalæ filium, à cane fuisse enutritum fama refert. Telephum Agaves et Herculis filium, à cerua: Peliam Neptuni et Tyrus filium, ab equa. Sed et Alopes Priamiq; filium Alexandrum, serunt à uulpe educatum esse: Aegisthū uero Thye stæ et Pelopiæ filium, à capra.

Qui ex obscuris clari nobilesq; euaserint.

Darium Histaspæ filium audio Cyri pharetrophorum extitisse. ultimus uero Darius, qui superatus ab Alexandro est, serua natus fuerat. Archelaus Macedonum rex serua Smicha progenitus erat. Menelaus uero Philippi auus in spurijs numerabatur: huiusq; filius Amyntas, minister Aeropæ seruus esse creditus est. Perseus, quem Paulus Romanus expugnauit, natione Argiuus erat, et parente quodam ignobili prognatus. Eumenes uero patre inope et tymbaulo fuisse creditur. Antigo-

nus Philippi filius, qui ex unoculus erat, unde Cyclops appellatus est, sub Polyperche stipedia fecit, ex latrocinia exercuit. Themistocles uero, qui Barbaros nauali prelio fudit, soluimus deorum uoces in oraculis proditas explicare potuit, Tressae cuiusdam filius erat, quem Abrotonus appellata est. Phocion cognomento Iustus, patrem habuit fabrum cochlearium. Demetrium Phalereum, è familia Timothei ex Coronis seruum prouenisse ferunt. Hysperboli uero, Cleopontis ex Demade, tametsi principes in Atheniensium repub. extiterunt, tamen eorum parentes difficulter quis retulerit. Callicratidas autem, Philippus et Lysander, Mothaces in Lacedæmonia vocabantur: quod nomen imponeretur ijs, quos patres in Gymnasia locupletum, exercitatū mitterent. De ijs Lycurgus, qui id concesserat, legem tulit, ut qui in liberorum disciplina permanerent, eis ad publicas dignitates ex officia gerenda in repub. Lacedæmoniorū aditus pateret. Epaminondas etiam patrem habuit ignobilem. Cleon uero Sicyoniorum tyrannus ex piratis erat.

**De quibusdam longo tempore uer-
satis in Siciliæ lithotomijs.**

In finibus Sicilie lapidicinæ extabant, longitu-
dine unius stadij, latitudine duorum plethrorum.
In eo loco tamdiu quidam homines tenebantur, ut
inibi

inibi matrimonia contraherent: ex quidam ex eorum liberis, si uenissent Syracusas, ex equos sub iugo coniuctos cernerent, adeo perterrebantur, ut cum clamore uociferationeque aufergerent. Pulcher rima, iucundissimaque earum spelunca Philoxeni poete cognomentum habebat, in qua cum uersatur, Cyclopem omnium suorum poematum praestantissimum elaborauit, parvipendens supplicium a Dionysio sibi constitutum, et condemnationem, sed in ipsis miserijs ex erubuis musicam artem exercuit.

De Mida, Platone, & Pindaro, infantibus.

Ex Phrygia manauit hec fama: infante adhuc Mida, somnum carpente, formicas in os eius irrepsisse, magnoque studio et labore frumenta imporatasse. De Platone uero dicitur, quod apes in ipsis ore fauum efficerint. Pindarum etiam, cum e patria domo fuisset expositus, aluerunt apes, pro latte mella prebentes.

De prodigio Dionysij monachiam portendente.

Dionysium Hermocratis filium, aiunt, flumen quo traieciisse: cumque in luto equus concideret, cum defiliisse, ex ripa compotem esse factum: atque sic relicto postmodum equo, quasi non amplius suo discessisse.

discessisse. Cum autem sequeretur equus ex bintis ret, reuersum esse. cumq; apprehenderet eius iubam ad ascendendum, apum examen continuò manum circumdedisse. atque de his interroganti, respondisse Dionysio Galeotas, monarchiam ea respesigificari.

De Aristomache, Dionis uxore.

Dionysius in exilium è Sicilia Dionem pepulit, uxorem uero eius Aristomachen et ipsius filium custodivit. Post repugnantem foeminam satelliti suo sui obseruantissimo Polycrati, in coniugem tradidit. Is natione Syracusius erat. Dion uero cū fugato ad Locrenses Dionysio Syracusac cepisset, Arete soror ipsius eum affata est, et intercessit. Aristomache uero pudore prohibita, occultabat se, neq; maritum audebat alloqui; quoniam coacta per vim, connubij legem erga ipsum uiolarat. Postquam autem eius causam defendisset Arete, necessitateq; coactam à Dionysio diceret, Dion accepit uxorem et filium, misitq; eos in domū suam.

De poematibus Homeri,

Indi uernacula lingua descripta Homeri poema cantare solebant. Item Persarum reges: si modò eos, qui de his referunt, fide dignos iudicamus.

Quid

**Quod Phocion suis malefactoribus
facile dederit ueniam.**

Phocion Phoci filius, qui s^epē multumq; suam operam in militijs patrie p^restiterat, morti adiudicatus est. Cumq; in carcerem coniectus, iamiam cicutam bibiturus esset, porrigente ipsi calicem liliore, atq; amici familiaresq; accedentes rogarent, quid p^recepti filio relinquere: Hoc, inquit, ei mando, ne cum iniuria memoria rependat Athenensibus hanc propinationem, quam ego nunc bibo. Qui uero eum uirum non laudandum admirandumq; censeat, is mihi prorsus nihil sapere, aut intelligere uidetur.

**De Lacedæmonijs, nullam operam
liberalibus disciplinis im-
pendentibus.**

Lacedæmonijs literarum omnino rudes erant. ip[s]is enim curæ erant exercitia corporum, & arma. Si quando uero doctrinarū auxilio opeq; uel agrotantes, uel perperum sentientes, aut aliquin publica calamitate affecti indigerent, consulebant homines peregrinos, ut medicos, aut uaticinium Apollinis. Accersuerunt autem Terpandrū, Thasletam, Tyrtaeum, Cedoniatam Nymphaeum, & Alcmanā qui fistulicen erat. Et Thucydides refert, imperitos fuisse doctrine & literarum, cum dicit de Brasidio.

Brasida. Inquit enim, cum dicendi imperitiam fuisse, ut Lacedemonium non aliter, quam idiotam quendam.

De ostentatione Menecratis, & quomodo Philippus eum deriserit.

Menecrates medicus adeò superbia turgebat, ut seipsum Iouem appellaret. Misit autem aliquando literas ad Philippum Macedonum regē in hac uerba: Philippo Menecrates Iupiter salutem. ad ea rescripsit Philippus: Philippus Menecrati sanitati, Consulo ut ad Anticyram te conferas. Significauit his latenter, hominem non esse sancte mentis.

Aliquando lautissimum conuum instruxit Philippus, ad quod illum etiam intuitauit, seorsimq; mensam ei iusfit apparari, et apponi acerram, sufficiuntq; fieri. Reliqui uero epulabantur, eratq; ad modum opipara coena. Menecrates itaq; primum cerebat, gaudebatq; honore: postquam uero paulum fames obreperet, et homo esse conuinceretur, isq; uanus et stolidus, consurgens discedebat, sefēq; iniuria affectum querebatur, festiuissime Philippo inertiam eius redarguente, et in luce proferente:

**Quibus similes dixerit Athenas
esse Isocrates.**

**Isocrates Rhetor de Atheniensium civitate de
corde**

cere solebat, eam scortis simillimam esse. Etenim qui illarum uenustate caperentur, uelle quidem ones rem cum ipsis habere: neminem tamen esse tam suipius contemptorem, qui matrimonium cum illiciungere dignetur. Atq; Atheniensium ciuitatens ad peregrinandum in ea iucundissimam esse, omnibusq; totius Graecie ciuitatibus præstantiorem: ad inhabitandum uero, non item securam ac tutam esse. Innuebat his uerbis, domesticos in ea sympathantes, atq; eorum quis se populares uideri uellet, insidias.

De maximorum bellorum ini- tijs & causis.

Me uero non clam est, maximorum sepe bellorum tenuissima contemptissimaq; principia uisa fuisse. Persicum enim ex Maandri Samij cum Atheniensibus dissidio, ortu duxisse perhibent. Peloponnesium uero, propter Megarensium tabellam. Sacrum uero quod vocabatur, ab exactione iudiciorum Amphictyonum. Cheronense, Atheniensibus cum Philippo contendentibus, necq; capere uolentibus.

Quomodo Aristoteles Alexandru- iratum ad mansuetudinem re- uocare conatus sit.

Aristoteles Alexandrum excandescente ira ple-
care

care uolens, et sedare summā indignationē, hæc ad eū scripsit: Excandescientia et ira non in pares, sed in meliores existere solet. tibi uero nemo par est.

Aristoteles consulens Alexandro, quæ fieri conueniret, cùm multis magnas utilitates attulit, tum patriā frē dirutam à Philippo exædificauit.

De ijs qui apud Libycos uel ab elephantis perimuntur, uel inter uenandū pugnandum ue intereunt.

Libyci eos qui uel ab elephantis, uel in uenationibus, uel in prælijs interficti sunt, honorificis sepulturis prosequuntur, hymnosq; in honorem eorum cantillant. Est autem hoc argumentum hymnorū, ut dicant eos se fortis viros præbuisse, qui tantæ bestie reluctari ueriti non sint. Dicunt enim gloriose uitam cum morte commutasse, id demum monumentum esse laudatissimum ei, qui terræ mandatur.

Quid Diogenes de Megarenibus pronunciarit.

Diogenes Sinopensis multis uerbis in inertiam et inscitiam Megarenium inuehebatur, dicebatq; se Megarenis alicuius arietem esse malle, quam filium. Quo significabat, Megrenses pecoris diligentiorē curam gerere, quam liberorum.

De

De prodigijs quæ Thebanis appa-
ruerunt, Alexandro copias ad
urbem admouente.

Cum Alexander exercitum ad urbem Theba-
norum adduceret, signa prodigiaq; dij ipsis mise-
runt, pronunciantes tantam, quantam nunquam
antea, cladem. At illi cum Alexandrum apud Illy-
rios uita defunctum esse audirent, multa blasphem-
iaq; conuicia in eum coniecerunt. Nam palus On-
chesti sonitu horribilem, continuumq; edidit, ita ut
portus et stationes contremiserent. Fons item,
qui secundum Ismenium, ipsaq; moenia est, nomine
Dirce, cum reliquo omni tempore, pura dulciq;
lympfa fluxisset, repente preter spem omnium
sanguine impleta est. qua re Thebani deos Mace-
donibus exitium minitari credebant.

Tum in ciuitate in delubro Cereris, aranea,
iuxta faciem imaginis, suam artem exercuit, con-
suetamq; telam duxit. Simulactrum etiam Miner-
ua Alalcomeneidis cognominatae, spontanea flam-
ma, combusta est, nullo igni subiecto. atq; alia innu-
merabilia eiusmodi contigerunt.

De Dioxippo.

Dioxippus pugil Olympionices Atheniensis,
cum more pugilium Athenas introiret eques, ma-
gnaque hominum multitudo conflueret; atque aliis
ο aliunde

aliunde spectandi cupiditate dependeret, in ijs foca
mina forma decētissimis, uisum accurrerat. Quam
uidens Dioxippus, subito pulchritudine uictus, in-
desinenter fixos in mulierem oculos habuit: con-
uersusq; ex uultu in plurimos colores mutato, ani-
maduersus est ab omni multitudine, non oscitan-
ter, neq; ociose foeminā contemplari. Maximē uer-
ò hunc eius affectum redarguit Diogenes Sino-
ensis. Etenim aureum speculum operis Corinthiū
emit, dixitq; ad proximos: En, inquit, pugilem uer-
strum magnum, quemadmodū à puella configitur.

De ueritate & beneficiis.

Pythagoras dicebat, hæc duo diuinitus homini-
bus esse longè pulcherrima: ueritatem ample-
cti, ex beneficiis operam dare. Ex addebat, utrum
que cum deorum immortalium operibus compa-
rari posse.

De Dionysio & Philippo.

Conuenerant aliquando Dionysius secundus,
ex Philippus Amynta natus. Proinde cum in mul-
tos alios sermones, ut a solet, delaberentur, tum in
reliquis etiam incidebant illa. Philippus Dionys-
ium rogabat, quomodo, cum tantum regnum ac-
cepisset à parente, non id defendisset ex conserva-
set. Qui respondens: Non, inquit, mirum, quoniam
cum reliqua mihi pater omnia reliquisset, forta-
nus

nam solam, qua ea parauerat ex tutatus fuerat,
non etiam tradidit.

De Boreæ uenti honore.

Aduersus Thurius nauigabat Dionysius, contraq; ipsos triginta naues agebat. Boreas uero ex aduerso reluctans, nauigia confringebat, et uniuersas nauales eius copias delebat. Ex eo rem diuinam Boreæ faciendam Thurius instituerunt, et publicis decretis ciuem suum renunciarunt, atque domum certam facultatesq; ei assignauerunt, singulisq; annis sacrificia obtulerunt. Non igitur Athenienses ipsum soli benefactorem suum ex fauto rem putarunt, sed etiam Thurius auxiliatorem eum, amicumq; scripserunt. Pausanius uero idem Megalopolitas resert fecisse.

Lex Persica de regis consiliarijs.

Etiam illa Persarum consuetudo erat, ut si quis de rebus obscuris ambiguisq; consilium regi dare uellet, super aureo latere staret: atque si bona salubriaq; in medium consuluisse uidetur, latere in consilio præmium accepto discedet. nihilo minus tamen flagris cedebatur, si contrarium regi dixisset. Meo quidem iudicio, libero uiro iniuriam pro mercede rependere, non est æquum.

De Archedicæ amore.

Archedices deperibat meretricem quandam Naucraticam. At illa fastuosa, nimisq; crudelis erat, & mercedem largam poscebat. cumq; accepisset, paulisper cōmercio eius qui numerarat, indulgebat. Deinde refugiebat. Cum igitur deperiret eam adolescens, nec potiri adamata posset, quandoquidem supra modum erat opulenta, per somnum cum illa rem habuit: & confessim cupiditate iuuenis liberatus est.

De Alexandro mortuo.

Alexander Philippi et Olympiadis filius, cum Babylone animam egisset, mortuus iacebat, qui se Iouis filium iactitarat. dumq; eius p̄fecti de regno perseditiones contenderet, ipse sepulturæ ex pers manebat, cuius etiam egentissimi quiq; (natura postulante, ut mortui terra occultentur) compotes fieri solent. Vixum ille triginta diebus inhumatus, carensq; sepulchro relinquebatur: donec Ariander Telmisensis, seu diuino numine percitus, seu alio quodam casu correptus, in medios Macedones irruit, & ad eos locutus: Omnes, inquit, omnium seculorum reges Alexandrum fœlicitate superasse, tam uiuum, quam mortuum. Etenim deos immortales sibi notum fecisse, in quacunq; terra requiem ipsius anima primum esset habitura, eam fœlicitate

felicitate abundantem, et ab omni hostili uastatione in perpetuum liberam fore. Hec cum audiret, pro se quisque summo studio diligentiaque; annitebantur, ut in suum regnum singuli transferrent, et thesaurum possiderent, quasi obsidebat firmitudinis imperij et immobilitatis. Ptolomaeus, si credere par est, corpus eius requisuit, et maxima festinatione in urbem Alexandri sitam in Aegypto deportauit. Atque reliqui Macedones quietem uergerunt. Perdiccas uero persequi ipsum conabantur. nec tam in Alexandrum cura et pietas eum commouebat, quam predicta ab Aristandro inflammabant, et incendebant. Postquam uero depribendit Ptolemaeum, acerrima pugna de cadduere orta est: similis quodammodo ei, que de simulacro Troie, ut canit Homerus, dicens pro Aenea Apollinem in medios heros impetum fecisse. At reprobavit impetum Perdicce Ptolemaeus. Etenim facto simulacro, Alexandri effigiem referente, ueste regia eam exornauit, et entaphijs honorificentissimis. Deinde in Persicum currum impo-
 sito, feretrum eius magnifice auro, argento et ebo
 re instruxit: atque uerum Alexandri corpus appa-
 ratu tenui, et ut praesens res ferebat, premisit per
 uias occultas et innas. Perdiccas cum depreben-
 disset simulacrum mortui, instructumque currum,
 remisit persecutionem, ratu se iam in manibus ha-

bere de quo certatum esset. At serò rescivit ueritatem, cognouitq; se fallacijs circumuentum esse, tñ iam amplius persequendi facultas non daretur.

A E L I A N I V A R I A E H I-
storiae Liber decimus
tertius.

De Atalanta.

DE Iafione Atalanta, talis fama celebrata est. Eam, cum esset nata, pater exposuit non enim se foeminis, sed uiris opus habere dicebat. Is uero cui expositum data esset, non eam interfecit, sed abiens in montem Parthenium, prope fontem collocauit, ubi rupes erat cum antro, spissumq; quercetum. Atq; infans morti quidem erat destinata, sed à fortuna non destituta. Paulo enim post ursa suis catulis per uenatores spoliata, surgentibus præ nimia lactis copia uberibus, et gratuatis superuenit, atque diuina quadam prouidentia, insante delectata, lac ei præbuit: et simul fera suum dolorem sedauit, simul alimentum infanti præstítit. Atq; iterum deinde cum lac haussisset, accepit: et quoniam suorum mater non manserat, alienæ nutrix extitit. Eam uenatores peruestigabant, qui ante quoq; catulis insidias posuerat: atq; singulis partibus querceti probe inspectis, cum usfa solita

se solita consuetudine ad pascua uictumq; compa-
randum abiisset, Atalantam surripuerunt, non=
dum hoc nomine appellatam. Nam illi post ei no=
men imposuerunt, et inter ipsos agrestibus ali=
mentis educta est. Paulatim uero cum annis corpus
surgere, atq; castitatem amplecti, commerciaq; ui=
torum deuitare, et solitudinem, occupatis altissi=
mis Arcadie montibus, expetere. Ibi planities e=
rat aquis irrigua, proceræ quercus: item uenti,
profundumq; nemus. Quid enim molestum sit,
de Atalante spelunca audire, quemadmodum in
Homero de Calypso? Atque in ualle caua, spe=
cus erat continuum, omnino profundum, et in
editu longis promissisq; precipitijs munitum. Id
hederæ circumserpebant, que teneris arbori=
bus implicabantur, per quas ascendebant. Cro=
ci etiam in eo loco nascebantur, tum in plana
terra, tum in extremo nemore, cum quibus una
surgebat hyacinthus, alijq; diuersi coloris flo=
res, qui non solum ad pascendos oculos face=
rent, sed suauissimis etiam odoribus ambien=
tem aerem replerent: et quamuis etiam alios sen=
sus, maxime tamen odoratum afficerent. Lauri
porro frequenti copia stabant, folijs continuo ui=
gore florentibus, atq; uisu amoenissimis. Etiam ui=
tes plenis fertilibusq; uuis ante speluncam cresce=
bant, astrictitatis laborumq; Atalante indices.

Item aquæ perennes, pellucidæ, gelidæ, quantum uel tangendo, uel bibendo animaduerti posset, fūsim copioseq; influebant. atq; hæ ipsæ plurimū arboribus conferebant irrigando, affluendoq;, et uitam in ipsis excitando. Erat itaq; locus tum gratus refertus, tum grauitate plenus, et qui puellæ prudentiam, studium et operam facile declararet. Stratis autem lectoq; utebatur ferinis pellibus, cibo bestiarum carnibus, et potionē aqua. Vestitu tenuè inornatoq;, et eiusmodi, qui nō abhorreret à Diana, amiciebatur. Dicebat enim se illam tam in hoc imitari, quam in eo, quod perpetuam uirginitatem conseruare statuisset. Natura autem celeritatem et uelociſſimam pedibus finixerat, ita ut neq; fera cursu ab ea posset euadere, neq; homines insidiantes, si se in fugam conieciſſet, consequi. Amabant eam non solum qui ipsi uidiffissent, uerum etiam quibus ex fama cognita eſſet. Age uero, formam etiam eius, si non molestum eſt, describamus. Molestum uero non erit, ſiquidem ex his ad orationis peritiam et artem acceſſio futura eſt non medioſris. Magnitudine, cum ē pueritia nondum excesſiſſet, adulas foeminas longè ſuperabat: forma uero ea etate nulla ex Peloponnesiacis puellis ei comparari poterat. Vultum habebat quodammodo uirilem ac trucem, idq; ex ferino fortaffe uictu: ſiquidem et animosa erat, neq; ulla puellis conſueta, laſciuaq;

sciuāq; exercitia in montibus agitabat . neq; enim
 de thalamo prodierat : neq; erat ex earum gene-
 re, quæ uel à matribus, uel à nutricibus tolluntur:
 neq; uero nimia corporis pinguedine premeba-
 tur, idq; merito, quoniam uenando, similiq; exer-
 citia obeundo, totum corpus temperabat. Flavus
 erat capillorum color, non aliqua cura muliebri,
 seu tinctionibus, seu pharmaciis adhibitis effectus:
 neq; uero fuso paratus, sed ipsa facies ab radijs fo-
 laribus colorata, rutilare ex aduerso uidebatur.
 Qui uero flos tam speciosus aut elegans inueniri
 potest, quam uultus virginis ad uerecundiam com-
 paratus ex institutus? Duo, quæ stuporem homi-
 nibus inferrent, habebat : singularem uenustatem,
 ex quod hac ipsa terrorem iniucere uidentibus po-
 terat. Nemo sanè timidus aut dissolutus homo, cum
 eam aspexisset, amare potuit, immo ne obtueri quis-
 dem à principio. Tantus splendor cum forma con-
 iunctus insipientium oculos perstringebat: stupen-
 dam eam in congregib; tum alia, tum præsertim
 raritas efficiebat. Non enim facile cuiquam se con-
 spiciendam offerebat, nisi cum de improviso feras
 persequens, aut aliquem ulciscens apparuisset im-
 petu repento, quasi stella, atque instar fulguris
 elucebat: statimq; ipsam transuolantem occuluit
 uel queretum, uel cespes, uel aliud eius generis in
 monte spissum, opacumq;. Aliquando accidit, ut

o 5 duo

duo finitime regionis iuuenes, media nocte audaces amatores, insigniter lasciuientes ex Centauris Hy!eus & Rhœcus uenirent. Ut erant autem in suo amatorio discursu non tibicinibus, neq; ijs quibus adolescentes in ciuitate uti consueuerat, sed te-dis: quib: incensis et flagrantibus, ad primum ignis conspectum uniuersus populus exhorruit, nedum una puella. Erutis deinde pineis ramis, seipsoas implicauerant, ac serta fecerant, continuoq; strepitu concusis armis, per montes discurrentes etiā arboribus incensis ad puellā iter affectabant nequisimi proci cum iniuria, & prius antro dotem nuptiarū persoluentes. Illa nō ignara consilij (uiderat enim ignē ē specu) cognitis qui nam essent baccatores, nihil extimuit, neq; uultu perturbata est: sed extenso arcu, telum in eos infestum misit, & opportunè priorem tetigit: cumq; ille prostratus iaceret, secundus iam non amplius amatorijs, sed hostilibus infestisq; gressibus accedebat, ulcisci socij mortem paratus, seq; ipsum furore atq; impetu armarat. Obuiam hyc uenit defensor quasi, spiculum aliud. Atq; hec de Jasonide Atalanta in praesens dicta sufficient.

De Macareo, qui ob crudelitatem & impium nefas à diis immortibus punitus est.

Mityles

Mitylenensis quidam, nomine Macareus, sacrificulus Bacchi, nultu quidem singularem præferebat mansuetudinem et æquitatem, ceterū omnium hominum erat impissimus. Accidit quodam tempore, ut hospes ad eum ueniret, et in eius fidem aliquantum auri deponeret. Macareus in recessu templi, eruta terra aurum defodit. Interiecto deinde tempore reversus hospes, aurum reposcerat. Quiccum ille tanquam restituturus depositum in templū introduxisset, morte affecit: atq; effosso auro, hospitem in eius locum imposuit, et recondidit: ac quemadmodū homines, sic etiam deum clamare arbitrabatur. Verum euentus longè secus declarauit. Quare paucis diebus exactis, triennalis dei solennitas aderat. Tum cum ille magna celebritate diuinam rem obiret, atq; in ceremonijs festalibus occupatus esset, duo filii eius domi relicti patris immolationem sacrosanctam imitabantur: accedentesq; ad aram paternam, ardenteribus adhuc holocaustis, iunior collum præbebat: adultior uerā cum inuenisset æruginosum ensem, fratrem ad similitudinem uictime, mactauit. Familia conspecto facinore, uociferata est. Mater auditō claramore exiliit: uidensq; trucidatum alterum, alterum ensem recenti sanguine conspersum manus tenentem, arrepto ex altari torre, superstitem filium interfecit. Allatum est cedis domesticas

mestice nuncium ad Macareum, qui relicto sacrificio, quam potuit furentissimo impetu ex iracundia in aedes insiliit, atque tæda, quam habebat, iuxtam interemit. Scelus in omnes homines euulatum est, comprehensusq; Macareus, ex in tormentis examinatus, confessus est, quæ in templo quondam perpetrarat. In ipsis uero questionibus uitam amisit. At illi, qui contra ius fasq; peremptus fuerat, summus honor est publicè habitus, sepulchrumq; iussu dei constitutum. Macareus igitur non immeritam poenam dependit, iuxta poëtū illud, suo ipsius, uxoriq; ex liberoru[m] capitibus.

De monumento Beli, atq; infotunato in hoc ostento Xerxi exhibito.

Xerxes Darij filius, effosso uetus sti Beli monumento, uitream urnam reperit, ubi iacebat in olio mortuus: non tamen plena fuit urna, vacuumq; à summis labris ferre palmæ spaciū habuit. Adiacebat urnæ, columnæ exigua, in qua scriptum continebatur, cum qui sepulchrum aperuisset, neq; repleuisset urnam, pessime habiturum. Quo lecto, Xerxes expauit, ex oleum celerrime iusit infundi. Non tamen impletum est. Qui iterum infundi iusit, neq; sic incrementum accepit, donec frustezzus omni labore infundendi, cessaret, clausoq; monumento

piumento summa cum moestitia discederet. Neque uero falso eum habuerunt, quorum prenuncia significatrixq; extiterat columna. Nam quinqua ginta myriadum exercitu aduersus Grecos conscripto, magnam cladem accepit, reuersusq; turpis sima morte uitam finiuit, noctu in stratis a proprio filio peremptus.

De Euripide in conuiuio inebriato.

Archelaus rex opiparum lautumq; conuiuio amicis suis parauerat. cumq; inter pocula lari gius Euripides biberet, sensim in ebrietate est de lapsus. Deinde proxime sibi absidentem Agathonem Tragicum poetam complexus ex osculatus est, annos circiter quadraginta natum. Agesilao interrogante, num adhuc in delicijs habendus uideretur respondens, Per Iouem, inquit, omnino. Non enim uer solum est bonorum optimum, nec rutemiam autumnus.

Quis primus adamarit ingenuos pueros.

Primum ait Laium, formosorum iuuenium amoribus arfisse, et Chrysippum filium Pelopis rapuisse. Ex quo factum est, ut honestum a pud Thebanos haberetur, speciosos et elegantos amare.

De

Æ L I A N I

De Arcadici, Thasiorum, Achaeorum uinorum proprietatibus.

In Hereensium Arcadum agro uites audio nasci, ex quibus quod prouenit uinum, communis sensus impotes expertesq; Arcades reddit: at mulieres fœcundas ad pariendum efficit.

Apud Thasios duo uinorum genera nasci prohibent: quorum alterum si bibatur, somnum admodum profundum ex idcirco suauem adserat: alterum infestum inimicumq; uitæ, uigiliarum ex molestie causam esse. In Achaia uero iuxta Cerauniam uinum crescit, quod mulieribus partus abortivus edere uolentibus prodest:

De Thebis ab Alexandre capitis, & de Pindaro.

Cum cepisset urbem Thebanorum Alexander, omnes liberos homines exceptis sacerdotibus uenidebat. Liberos etiam à uenditione patris antiquos hospites dimisit: (etenim pater ipsius Philippus, puer adhuc apud eos obsidem egerat) quiq; cum his cognitione aliqua coniuncti essent, omnes soluit. Etiam Pindari familiam honorauit, eiusq; domum solam intactam ex integrum consistere passus est. Occidit autem Thebanorum nonaginta millia, & triginta millia sub hastâ captiuitateq; redigit.

De Lysandro.

Lysano

Lysandrum Lacedæmonium aiunt, cum ageret in Ionia, Lycurgi molestas laboriosasq; leges reiecerit, & uitam dissolutè luxurioseq; habuisse.

De Lamia.

Lamia scortum Atticum dixit, Leones Græci,
Ephesi redduntur ulpes.

De Dionysio uno eodemq; die duas uxores ducente.

anno die duas uxores Dionysius in matrimonium sibi associauit, Doridem Locrensem, & Aristænetam Hippiani filiam, sororem Dionis: et cum utrisq; uicissim dormiuit. atq; altera sequebatur eum in bellis, altera reuersum excipiebat.

De subiugatione Persarum, & Isocrate.

Accepi Isocratem rhetorem in causa fuisse, quamobrem Persæ in seruitutem cogerentur à Macedonibus. Etenim Panegyrica orationis, quam Isocrates Græcis exhibuit, fama in Macedoniam peruenit, atq; primum quidem Philippum aduersus Asiam extimulauit. Illo uero mortuo, Alexandrum filium eius, heredem paternorum omnium, ad bellum à Philippo susceptum, cōficiendum adhortata est.

Quod Meton seipsum & expedi- tione liberauerit, & de in- sania Vlyssis.

Meton.

Meton astronomus, cum Græcorū copie iam in Siciliam nauigationem instituerent, ipse quoq; referebatur in Catalogo: cumq; perspicue planeq; futura pericula cognouisset, magno cum metu nauigationem uitabat, studebatq; immunis ab expeditione fieri. Postquam nihil proficeret, simulabat insaniam: atq; cum alia multa perpetrabat, ad uestimentile morbi opinionē reddendam, tum etiam universam domum incendebat, igniq; consumebat, quæ uicina erat Peclia, quam ob causam principes eum dimiserūt. Atq; ut mea fuit sententia, longe callidius simulando præse tulit insaniam Meton, quam Ulysses Ithacensis. Hunc enim Palamedes prehendit, & redarguit, illum uero nemo Atheniensium.

De Ptolemaei munificentia.

Ptolemaeum filium Lagi, maxima cum uoluptate aiunt amicos suos locupletes effecisse. Dicunt cebat enim: Melius est ditare, quam distescere.

De Homeri carminibus, & poesi.

Veteres Homeri carmina in certas partes distributa cecinerunt. Nam alij commemorabant contentionem iuxta naues exercitam, atq; dolum illum ex uictoriam Agamemnonis. Adhuc nauium catalogum, & Patrocleam, & redemptionis mercedem,

cedem, & certamina in honorem Patrocli instituta, cum suis premijs, & iuramentorum violationem. atq; hæc, quantum ad Iliada pertinet. Quod uero ad alteram, res Pyli gestas, & Lacedæmonem, & Calypsus specū, & rates, Alcinoi apologos, Cyclopiam, funus, & Circes niptra, procorum cedes quæ in agro, quæq; Laertæ facta sunt.

Serò autem Lycurgus Lacedæmonius, uniuersam Homeri poesim simul in Græciam impor-tauit, idq; ex Ionia, cum peregrinationem suscepisset. Postmodum uero Pisistratus collectis in unum omnibus, Iliadem & Odysseam reddidit.

De quibusdam supra modum fatuis.

Comici poetæ, Polydorum quendam stupidissimam mente fuisse referunt, cutemq; illasam ab incendo alijsq; periculis habuisse. item alium quendam Cecylionem, qui fluctus præ nimia stoliditate numerare conabatur. Fama est, similem his extitisse Samyrionem, qui in Lecytho scalarum gradus querebat: item Corœbum, & Melitiadem fuisse beatissimi ingenij memorie proditum est.

De Apolloniatis, & ipsorum regione atq; Epidamno.

Apolloniatarum urbs finitima est Epidamno, sita in Ionico sinu, atq; in proximis uicinisq; circa

ca ipsam locis fodine bituminis habentur, non alio-
ter quam pleriq; fontium scaturigines emittentes.
Non procul etiam sempiternus ignis ostenditur.
Ardens uero collis est non ita magnus, neq; ingens
spacium occupans, neq; longum ambitum comple-
ctens, qui sulphur & alumen olet. circumq; ipsam
floridissima sunt arbusta, multaq; loca uiridantia,
quæ nihil ab incendio uicino laeduntur, neq; quod
ad germina, neq; quod ad floriditatem plantarum
attinet. ignis uero dies noctesq; perseverat, neque
desinit unquam, ut inquiunt Apolloniæ, ante bel-
lum quod cum Illyrijs gesserunt.

Apolloniæ ad legis Lacedæmoniorum regu-
lam peregrinos urbe expellebant. Epidannij uero
potestatem omnibus in suam urbem migrandi, pe-
regrinandiq; faciebant.

Prouerbium, &c de Phrynicho.

Vesperum examen metuit Phrynicus, uelut
gallus gallinaceus. Prouerbium conuenit in eorū
qui damnū patiuntur. Cum enim Phrynicus tra-
gicus Miletii captiuitatem ageret, Athenienses mo-
tientem perhorrescentēq; lacrymantes ciecerunt.

De Dionyso.

Dionysius Sicilie tyrannus, tragediam ornau-
bat, ac laudibus uehebat, tragicaq; dramata facie-
bat. A' commedia uero prorsus animo abhorrebat,
quod ad risum non esset accommodata.

Cleomenis

Clemonis sententia, de Homero & Hesiodo.

Cleomenes domesticò more, Laconice dixit, Homerum Lacedemoniorum esse poetam, Hesiodum Helotatum: quoniam ille belligerandi, hic agros conditi rationem ex uia prescriberet.

De quodam lubenter uita defuncto,
tantum ut mortuos quos-
dam uidere posset.

Cuius Megalopolita ex Arcadia, Cercidas nomine, moriens dixit familiaribus suis, se non aegre mortem obire: sperare enim se conuenturū ex philosophis Pythagorion, ex historicis Hecataeum, ex musicis Olympum, ex poetis Homerum. Ex hac effatus, ut fama est, uitam amissit.

De Phrygia harmonia.

Si quis Celenis pelli Phrygias, accinat Phrygiā am harmoniam, pellis mouetur: sīn Apollini, quietā mutaq; uidetur esse.

De Homerī templo, & si- mulacro.

Ptolemaeus Philopater, extruens Homerō tem-
plum, ipsum pulcherrimē ex commodissimē seden-
tem collocauit. Circumcirca uero iuxta simulacrum
eas cinitates posuit, que Homerum sibi uendi-
cant. Galaton pictor Homerā finxit euomen-

tem, reliquos uero poetas ea quae ipse euomassas baurientes.

De Lycurgo Lacedæmonio.

Lycurgus Lacedæmonius filius Eunomi, non lens iustitia Lacedæmonios imbuere, non dignum neq; bonum præmium abstulit. Erutus est enim illi oculus ab Alcandro, ut quidam putant, ex insidijs iactu lapidis: ut alij sentiunt, ictu baculi. Dicitur autem de ijs, qui alia quam proposuerunt, confessi sunt. Euphorus uero dicit, cum in exilio fane perijisse.

De quibusdam, quibus propriæ leges nocumento fuerunt.

Lycurgus orator legem scripsit, ne mulieres in festo Mysteriorum, curru uelerentur. Quæ uero id fecisset, multam lueret, quam ipse idoneam putans constituerat. Prima uero ipsius uxor aduersus hoc psephisma deliquit, atq; damnata pœnam subiuit. Pericles etiam legem posuit, ne quis in Atheniensium republica haberetur, qui non utroque parente ciue natus esset: qui deinde, amissis genuinis filijs, nothum superstitem habebat. Patet autem, quod alia uoluerit Pericles, aliud uero sit couentum fortitus.

Clitthenes Atheniensis, primus exilijs suppliacionem introduxit, atq; ipse primus eo damnatus est.

Zalencus

Zaleucus uero legislator Locrensum, ius sit, ut ad altero deprehenso, uterque oculus effoderetur. Que uero minime expectarat, ea preter spem atque opinionem ipsi fortuna quedam obtulit. Nam filius eius deprehensus in adulterio, poenam à paterna lege statutam luere debuit. Ibi ne, quod semel omnium sententijs confirmatum erat, irritum fieret, ipse, pro altero filij oculo, sibi alterum eximiuit, ut ne prorsus cæcus fieret adolescens.

De Pindaro in certamine superato à Corinna.

Pindarus poeta Thebis, in contentione impetratis auditoribus usus, superatus est à Corinna quin quies. Redarguens uero ruditatem ipsorum Pindarus, uocauit Corinnam.

Quomodo Diogenes, cum in inopiam extremam incidisset, seipsum sit consolatus.

Diogenes Sinopensis, desertus ab omnibus hominibus, solus relinquebatur, cum neque propter egestatem ipse quenquam reciperet, neque ipsum hospitium quisquam acciperet: omnibus enim iniuria erat eius in reprehendendo acrimonia. Deinde in agendo loquendoque, se se morosum et difficile prebebat. Proinde tristitia Diogenes confectus, summas foliorum extremitates manducabat. Illa enim

suppetebant. *Mus uero accedens, decidentibus frustulis uescibatur.* Diogenes igitur, cum diligenter rem spectasset, subridens animo recepto: *Mus hic,* inquit, *nihil indiget Atheniensium lauitia.* Et quid tu Diogenes egrave fers, te cum Atheniensibus non escnare? Atque sic opportunum gaudium ipse fibi conciliavit.

De Socratis corpore.

Socratem corpore moderatum ex continencia esse fuisse creditum est: atq; cum ob eam causam ueritatem Athenenses agrotarent, ita ut partim morerentur, partim morti proximi essent, Socrates unus ex omnibus inde ab initio nunquam agrotauit. Qui autem eiusmodi corpus gestit, quali cum animo præditum fuisse credendum est?

De seruo Diogenis à canibus discerpto.

Cum Diogenes patriam relinquaret, unus ex seruis cum fecutus est, nomine Manes: qui non sensens eius conuersationem, a fugit. cumq; Diogenem hortarentur aliqui, ut cum quereret: An non, inquit, turpe esset, cum Manes Diogenis non egesset, Diogenem Manis indigere? Verum seruus ille, captus deinde, Delphosq; abductus, à canibus damnatus est, fuga poenam herbo persolvens.

Despe,

Plato

Plato dicebat, spes vigilantium hominum esse somnia.

De Olympiade dolente propter Alexandrum mortuum & inhumatum.

Olympias Alexandri mater, cum audiuisset, longo tempore iam filium sepulcro carere, graniter ingemiscens, atq; acerbissime ploras: O fili, inquit, tu cum in deorum numerum referri uolueris, ex id perficere summo studio conatus sis, nuc neq; illorum quidem, quorum omnibus mortalibus aequalē et pars ius est, particeps fieri potes, terra, sepulture eq;. ex his simul infortunium suum luxit, simul etiam fastum & inanem filij superbiam taxauit.

Quod Xenocrates fuerit misericors.

Xenocrates Carthaginensis, Platonis familiaris, cum alias misericordiam singularē declarauit, neq; solum hominum, sed per se etiam brutorum animalium misertus est: tum, cum quodam tempore federet in loco aprico, passer acriter instantē accipitrē fugiens, in sinū ipsius deuolauit. At ille cum uoluptate receptam ex occultatā auem custodivit tantisper, donec hostis ē conspectu receperisset. Vbi uero iam metu periculoq; solutā esse arbitraretur, undato sinū auem dimisit, inquiens, se supplicē habui non prodidisse.

p 4 Quos

**Quomodo Socrates iactantiam
cuiusdam scorti refellerit.**

Tradit Xenophon, Socratem aliquando in colloquium cum Theodota meretrice, foemina formissima, uenisse. Sed et cum Calliste sermonem habuit, quæ cum diceret: Ego quidem ô Socrates, nullum tibi presto. Nam cum tu neminem ex meis à me possis abalienare, ego, cum libitum est, tuos omnes à te amoco. Respondit: Quid, inquiens, mirum hoc est: siquidem tu ad declivem transitem omnes ratis: Ego uero ad uitatem cogo, ad quam ardorem et plerisque insolitus est ascensus.

De Rhodopidis scorti fortuna.

Rhodopem meretricem omnium Aegyptiorum ferunt pulcherrimam fuisse. cui aliquando lauant, inopinatorum atque inexpectatorum amans fortuna, contulit munus non isto animo, sed fortuna uenustateque dignum. Cum enim lauaret, atque uestimenta famulae custodirent, aquila deuolans alterum calceum abstulit, eumque secum deportauit Memphim, iudicium exercente Psammeticho, et in eius sinum calceum injectit. Psammetichus miratus pulchritudinem calcei, et fabricationis artem atque concinnitatem, et auis factum, mandauit, ut per uniuersam Aegyptum quereretur foemina cuius is calceus esset, eamque inuentam in matrimonium accepit.

De

De Dionysio.

Dionysius Leonem postquam imperasset ad interitum duci, ter mandauit satellitibus ut rursus abducerent, atq; ter animum mutauit. Et quotiescunq; accersuisset, exosculatus est lacrymans, et execratus seipsum, quod cum sumpfisset eissem, tandem metu uinceretur, interfici iubuit: Non licet, iniquens, ô Leo, tibi uiuo esse.

De cerui in medendo morbo physica curatione.

Physici dicunt, ceruum indigentem applicationis, apium comedere: laborantem uero pruritus ex phalangiorum morsibus, cancros.

De morte Eurydicae Philippi filiae.

Olympias Philippi filie Eurydice, que nata erat Philippo ex Illyride quadam uxore, misit cicutam, laqueum, et ensem. Illa uero laqueum delegit:

De Gelone, & ijs qui illi insidiati erant.

Gelon Syracusiorum tyrannus, mansuetissimum se in imperio prebebat. Seditiosi uero quidam eius uite tendebant insidias: quod cum resciuisset Gelon, conuocata Syracusiorum concione, armis induitus in suggestum ascendit: et commemoratis suis erga illos meritis, insidias detexit. atque exutis

armis dixit ad uniuersos: En igitur amictus tunica
la, nudus armorum asto, et dedo me uobis, ut pro
noluntate libitoq; tecum agatis. Cum igitur Syra-
eus iij mirati, supplicijs afficiendos insidiatores ei
tradidissent, et illum regnare iussissent, etiam hos
paniendos reliquit populo. Quamobrem Syracus-
ij statuam ei posuerunt, in discincta tunica. atque
hoc fuit eius animi popularis monumentum, et in-
posteriorum regnantibus documentum.

De Alcibiade.

Alcibiades admodum Homerum admiratus est,
et in precio habuit. Proinde cum aliquando in luxu-
dum literarum accessisset, Iliadis carmina petiit.
cum q; ludim agister se nihil Homeri habere affir-
maret, influxit ei pugnum satis durum, atque eum
imperitum esse, et similes sui pueros efficere dixit.

Idem cum ad causam pro capite dicendam in
Sicilia vocaretur ab Atheniensibus, obtemperare
noluit: Stultum est, inquiens, iudicium querere,
non fuga tibi consulere, cum fugere possis. Et cuns
quidam diceret, An non credis teipsum patriae? re-
spondit, Imò ne matri quidem crederem. Timerem
enim, ne forte per imprudentiam, aut errorem ue-
ritatis, nigrum calcidum pro candido submitteret.
Cum autem audiriisset, se mortis à ciuibus condem-
natum esse: Reipsa igitur, inquit, demonstrabimus,
eos adhuc in viuis agere. ueniensq; ad Lacedea-
monios

moenios, Decelicum bellum aduersus Athenienses
accuit.

Idem dicebat, nihil nouum esse, si Lacedemoa
nij intrepide mortem in bellis occumberent. Defun-
gere enim eos hoc modo legum seueritatem ex cru-
ciatum: atque labores, alacriter prompteque cum
morte commutare.

Dicere solitus est de suis factis, se Diocuro-
rum uitam uiuere: etenim quotidie se mori ex re-
muniiscere. Nam dum populi gratiam obtineret,
dijis parenti uideri: cum illam amississet, nihil à mor-
tuis discriminis habere.

De Ephialte.

Ephialtes, cum dux ei paupertatem expro-
braret. Cur non, inquit, etiam alterius dicas, quod
iustitiam colam?

De Themistocle.

Cum forte torque aureus Persicus iaceret hu-
mi, astans Themistocles, puero dixit: Quid tollis, o
puer, inuentū huismodi? monstrato torque. Non
enim tu es Themistocles.

Athenienses cum aliquando publicē eum infamia
notassent, rursumq; deinde ad imperium geau-
rendum reuocarent: Non, inquit, laudo eos homines
qui eodem vase ex matula, ex ad infundenda
nigum utuntur.

Enyje

Eurybiade Lacedemonio quiddam aduersus
dixerat. cumq; ille baculum intentaret, Verbera
tantum, modo audire. Non erat enim, ea que dictu-
rus erat è republica fore.

De Phocione.

Eiulantibus ijs qui cum Phocione morte erant
multandi: An non, inquit, ô Thudippe, pulchrum
tibi ducis, cum Phocione mortem oppeteret?

De Epaminonda.

Epaminondas reuersus è Laconica, capitis ar-
cessebatur, quòd Boeotarchiam quatuor integras
menses cōtra legem gesisset. Collegas igitur iusit,
ut in ipsum culpam deriuarent, quòd se inuitos coe-
gisset. Ipse uero in curiam ingressus, non meliores
rebus gestis rationes habere se dicebat. Sin minus,
se quidem interfici postulabat, uerū inscribi co-
lumne, quòd nolentes repugnantesq; Thebanos,
Epaminondas coegerit, ut Laconicam, quingentis
antè annis intactā ab hostibus, incendio ferroq; ua-
scerent, et ut edificarent iterum Messanam tre-
centis atq; triginta annis desolatam: quòd Arcades
bello in societatem compulerit, et Grecis liberta-
tem restituere coegerit. His auditis, pudore affecti
iudices, liberū pronunciarunt. Cumq; regredere-
tur è curia, et Melitensis catellus blandiretur can-
da, dixisse fertur ad presentes: Hic mihi, inquiens.
pro

pro beneficio gratiā reponit: at Thebani, de quibus sāpē multumq; sum preclarè meritus, mortem mibi iudicio poenam constituerunt.

De Timotheo.

Timotheus dux Atheniensium prospera fortuna per omnia credebatur uti, dicebatq; fortunam rerum bene gestarum causam esse, Timotheum uero nullius. Proinde pictores dormitatem eum in castris taxantes fingeblunt, atq; fortunam supra caput pendentem, ciuitates quasi in rete quoddam conducere. Interrogante Themistocle, quā nam re per uniuersam uitam maximē fuisse delectatus. Cum, inquit, ingredientem Olympicum stadium, totum theatrum intentis oculis contueretur.

De Themistoclis & Aristidae concertatione.

Iisdem tutoribus usi sunt Themistocles & Aristides Lysimachi filius. Quare simul etiam sunt educati, & ab eodem preceptore instituti. Atque cum adhuc essent pueri, frequentibus disidijs inter se concertarunt: quae controversia, à primis annis usq; ad extremā senectutē inter illos perseverauit.

De Dionysij impietate.

Dionysius matrem per uenenum necauit. Lenptinem uero fratrem, cum in nauali p̄flio seruare posset, interfici passus est.

De

De dracōne beneficij memoriē.

* *Cūcītas est in Achāia, nomine Patrē. In ea puer et draconem parvulum emebat, magnaq; eum cura educabat: cumq; creuisset, loquebatur, quasi eum intelligentē ludens, ac dormiens, cūt ipso. Cum uero ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à ciuib; est dimissus. Post, cūm puer adolescens factus, reuersus à spectaculo quodam cū aliquibus equalibus in latrones incidisset, ex clamorem extulisset, ecce draco praestō est, ex aliis in fugam uertit, alios interimit, ipsum uero saluum conseruat.*

AE L I A N I V A R I A E H I
storiae Liber decimus
quartus.

Quomodo Aristoteles erga homines affectus fuerit.

Aristoteles filius Nicomachi, re opinioneq; vir sapientia prestans, cūm quidam ei decretum Delphis bonorem eripuisse, scribens de his ad Antipatru, inquit: Ea quae Delphis mihi decreto sunt assignata, quibusq; nunc priuatus sum, animum meum afficiunt, ut neq; magnopere mibi cordi sint, neq; tamen omnino nō cordi sint. Non uero hac ab ambitione proficisciabantur. Neq; tam criminis ego Aristotolem insimulauerim. Etenim

num

nam sapientissime putauit, non esse simile, dignitatem aliquam suscipere: ex cum acceperis, ea sponliari. Non enim graue est, non adipisci: at, cum ad septus sis, rursum amittere, id molestum est.

De Agesilao, barbarorumq; periurijs.

Barbaros, qui iufurandi religionem violafsent, laudare solebat Agesilaus, eo quod peierando fibi ipsis deos infestos redderent, ipsi vero socios & amicos.

De prodigalitate.

Timotheus in Aristophontem prodigum gravissime inuehebatur, inquiens: Cui nihil satis est, eidem etiam nihil turpe.

De Aristide à mustela morso, atq; moriente.

Aristides Locrensis morsus à mustela Tartesia, moriensq; dixit: Multo sibi iucundiorum mortem futuram fuisse, si uel ex leonis, uel ex pardalis morsu obtigisset: quandoquidem necesse fuerit aliquam mortis occasionem existere, quam ab eiusmodi contempta bestiola. Ex quibus, ut ego quidem sentio, perspicuum est, eam acerbius ignominiam morsus, quam ipsam mortem tulisse.

Quos Athenienses ad reipub. gubernacula delegerint.

Atheniæ

Athenienses non solum idoneis ciuibus gerenda
dam rem publicam, et militiam administrandam
commiserunt, sed sepe etiam peregrinos ciuibus
antetulerunt, eosque reipublica gubernationi pre-
fecerunt, si quidem eos bonos honestosque viros co-
gnouissent, et ad hæc munera subeundum ac-
commodatos.

Apollodorum Cizycenum sepissime belli du-
cem crearunt, quamvis esset peregrinus. item He-
raclidem Clazomenium. Cum enim se dignos la-
de prestitissent, non iudicati sunt indigni, qui A-
theniensium imperium tractarent. Atque ob haec
laudibus extollenda ciuitas est, que non ciuibus uer-
titatem gratificando prodiderit, sed etiam ijs non
rarò summam rerum impertuerit, qui nulla ipsis
cognitione coniuncti essent, propter uirtutem tan-
men honore dignissimis.

Aristippi sententia de hilaritate.

Aristippus ualidißimis argumentis et sermo-
nibus usus hortabatur, neque de præteritis curam
postea suscipiendam, neque de futuris, antea. Id ea-
nim animi bene constituti esse signum, et hilare
cogitationis argumentum. subebat autem in diem
animum intendere, et diei illam solummodo par-
te, qua quisque quid ageret, aut cogitaret. Solū enim
aiebat præsens in nostra manu positū, non prætes-
titū, neque instans. Illud enim abijisse: hoc an euentu-
rum sit, incertum esse.

Lxx

**Lex Laconica de corporum colore,
& bona habitudine, item de
præpinguibus.**

Lacedæmonij huiusmodi legem habebant, ut nemo Lacedæmoniorum mollitatem aliquam colore præ se ferret, aut corporis impinguatione crassiore, quam ut exercitijs cōueniret, præditus esset. Nam hoc pigritiam, illud non virum ostendere uia debatur. A scriptum etiam hoc erat in lege, ut decim quoq; die ephebi ad unum omnes publicè nudos Ephoris sese exhiberent. Quod si essent bona corporis habitudine, ualentesq; ex quasi cōcisi ex certaminibus atq; perforati, laudibus uehebantur. Si aliquod membrum inueniretur delicatus & mollius, ob suppositam aut succrescentem oscitatio pinguedinem, uerberabantur, & in ius trahabantur. Etiam huius curam gesserunt Ephori, ut quotidie inspectiones obirent uestimentorū, si quid in illis forte à decenti iustoq; ornatu alienum inueniretur. Lacedæmone quoq; coquos esse non licet alios, quam carnis duntaxat. Qui uero preter banc artem nouisset, ejiciebatur Sparta, perinde atq; agrotantium purgamenta.

Nidem Nautilidem, filium Polybiadis, nimium corpore pinguiscentem, atq; ingratiscentem crassitudine, propter luxuriam & otium e concione, spe-

q et antibus

et antiquis universis deduxerunt, et exiliis multantur.
ei minitati sunt, nisi uiuendi rationem istam, iudi-
cij obnoxiam, magisq; Ionicam quam Lacedæmo-
niam, in posterum commutasset. Etenim ipsius for-
mam et corporis habitudinem, dedecus adferre
Lacedæmoni, et legibus.

Quomodo Polycletus et Hippoma- chus inertiam uulgi re- darguerint.

Polycletus eodem tempore duo simulacra fe-
cit, alterum ad arbitrium plebis, alterum iuxta pe-
nitiae artisq; normam. Gratificatus uero plebi hoc
modo est. Ad singuloru accessum transposuit, et
commutauit aliquid, morem gerens unius cuiusque
uoluntati et enarrationi. Itaq; proposuit utrumq;
et alterum quidem omnes admirationi, alterum
ludibrio ac risu habuerunt. Respondens autem Po-
lycletus. At hoc, inquit, quod uituperatis et re-
prehenditis, à uestra arte profectu est: quod uero
suspiciatis, ego mea facultate sum fabricatus.

Hippomachus fistulicent, cum discipulus suus
aberraret ab arte inter fistulandum, et nihilomi-
nis plausum auditoru assequeretur, percussit eum
baculo, dicens: Perperam fistulasti. nam alioquin
hi tibi non applauderent.

De Xenocratis patientia.

Xenocra-

Xenocrates Chalcedonius, cum ingratitudinis
Platone insimularetur; nunquam indignatione
traue comotus est. sed et illi qui ipsum ad respon-
dendum Platonis instigaret, Hoc, inquit, quod nunc
facio, mihi bonum atque commodum est: et prudens
tissime homini silentium imposuit.

Quomodo retaxarit Phocion Demadeum:

Athenienses Demadem preponentes Phocidae
in bellum ducem constituerunt. Qui cum ambitu su-
perasset Phocionem, summe animum extulit. Et
accedens Phocionem: Accomoda, inquit, mihi
sordentem istam chlamydem, quam gestare soli-
tus es in tuo bellum principatu. Cui respondens Pho-
cion: Nunquam, inquit, quicquam tibi sordens dea-
nit, dum talis fueris.

Qualem debeat se rex erga sub- ditos gerere:

Philiscus ad Alexandrum aliquando dixit: Ad
gloriam incumbe: uerum ea conditione, ne sis pes-
stis, uel magnus aliquis morbus, sed pax et sanita-
tas. affirmans, per uim et sauvitiam expugnare ci-
uitates, et populos excindere, pestilentiam esse:
sanitatis uero, salutisque subditorum rationem ha-
bere, ea sunt pacis commoda.

q 2 Q 24

**Quare Persarum rex iter faciens
tempus consumperit.**

Persarum rex iter faciens, ne tedium obreparet ex tempore, Philyrium gestare solebat: et quo id scinderet, cultellum. atq; huic operi regiae manus deditæ fuerunt. Prorsus enim neq; libellum, neque cogitationes, uel ad necessarium aliquid dignumq; scitu legendum, uel ad magnum aliquid ex memorabile consultandum, uersauit.

De tragœdijs Agathonis.

Sæpe multumq; suis tragœdijs antitheta intertexebat Agathon. Ea cum quidam, uelut emensus datus, ex dramatis ipsius tollere uellet: Quid, inquit, bone uir? Quomodo tui p̄sius oblitus es? ut Agathonem ex Agathone rei cōcere, atq; delere conneris. Adeò his delectabatur, ut ea suam tragœdiā amē efficere putaret.

De Stratonico citharoedo.

Cum Stratonicum citharoedum perhumaniter quidam exceperisset, mirū in modum gauisus est uocatione. Neq; enim hospitem aliquem habuit, quippe qui in peregrinam regionem uenisset. Proinde maximas homini gratias habuit, quod ipsum suū tecli participem fecisset. Cum uero mox uideret alium introire, iterumq; alium, atq; hoc modo nulli diuertere uolenti domum illius non patere: Faceſſamus,

mus, o puer, hinc, inquit ad suum comitem. Etes
nun pro columba, palumbum nacti esse uidemur,
cum pro hospitio pandocheum inuenerimus.

De Socratis sermonibus.

Sermones doctrinamq; Socratis, Pausonis pi-
etatis comparabant. Pausonem enim pictorem ad-
iungunt, cum quidam iussisset sibi uolutantem equum
pingere, currentem pinxit: cumq; qui tabula illi
tradiderat, indignaretur, quod contra pactum fe-
cisset picturam; respondisse pictorem, Verte tabu-
lam, et uolutabitur equus, qui nunc currit. Ita
quoq; Socratem non explicate planeq; differere.
Quod si quis ea uertat, planissima promptissimaq;
esse. Noluit enim auditorum inuidiam sibi conci-
liare: atq; ob eam causam obscuras, et quasi obli-
quas dissertationes proposuit.

De Hippo[nici] ambitione.

Hipponicus Calliae filius statuam ponere, fa-
ctos sanctum patriæ donarium in inimo habebat.
Cum igitur quidā ei consuleret, ut à Polycletō fin-
gendam imaginem curaret; Non, inquit, se eiusmo-
di donarium apud animum proposuisse, cuius glo-
ria non ad consecratorem, sed ad factorem sit redi-
tura. Etenim liquere, spectatores in ea statuæ ma-
gis artem et industriam Polycleti, quam suam libe-
ralitatem et munificentiam admiraturos esse.

De Archelao, & de Zeufidis picturis.

Socrates dicebat, Archelaum quadraginta menses in domum suam impendisse, conducto mercede Zeufide Heracleota, qui picturis eā exornaret, in seipsum uero nibil: et ob hanc causam multos elonginquis terrae partibus, magno studio contemplandæ domus causa uenire: ipsius uero Archelai gratia neminem in Macedoniam proficiisci, nisi si quem forte persuaderet pecunij, et muneribus inescaret, quibus tamen honesti bonique uiri capi non possent.

Qua poena quidam iratus seruum suum afficere uoluerit.

Homo quidam Chius, ira contra seruum incensus: Non, inquit, in pistrinum ego te detrudam, sed Olympiam ducam. Recte enim ille putabat, multo durius esse supplicium, si Olympiae in conspectu radijs solaribus coqueretur, quam si in molam ad molendum dederetur.

De Archytæ in loquendo modestia.

Archytas, cum alias modestissimus fuit, tum etiam uerborum obscenitatem assidue uitauit. Cum uero necessitas aliquando postularet absurdius aliquid dicere, non profatus est, sed ipsum quidem silentio præteriuit, inscripsit autem in pariete monstrans, quod

quod dicendum erat: neq; cum res exigeret, dixit.

De ridicula quadam historia.

Sybarita quidam puerorum moderator (quod genus hominum non secus quam reliqui Sybarites, luxu diffuebat) cum puer quem ducebat, per viam in fiduciam incidisset, et sustulisset, uehementissime cum obiurgauit, atq; ipse rapto quod inuentum erat, deuorauit. Cum id legerem in Sybariticis historijs, facere non potui quin riderem. Idcirco uero memorie prodidi, quod non in uideo ceteris etiam materiam occasionemq; ridendi.

De Syagro poeta.

Poeta quidam nomine Syagrus extitit, post Orpheum et Museum, qui dicitur primus Troia num bellum cecinisse, maximum argumentum carmine ausus tractare.

De tyranno prohibente subditos a mutuis colloquijs.

Tyrannus quidam Tryzus, uolens omnes coniurationum et infidiarum contra se vias intercludere, legem suae regionis intolis posuit, ut nemo cum altero, neq; priuatim, neq; publice sermones misceret: quod fuit grauiissimum, minimeq; ferendum. Itaque dolo tyranni mandatum eluferunt, et oculorum manuumq; gestibus, et nutu animi sensa mutuo significabant et accipie-

bant. Item acerbo uultu se se inuicem intuebantur,
et rursus placato, facieq; lata. atq; ex uniuscuiusc;
superciliorum agitatione perspicuum erat, cum tri-
stem et intolerandum rerum statum indignè fer-
re, animi affectione per uultum ei cum quo erat
declarata et ostensa. Etiam illa tyrannum commo-
uebant, quod existimaret, silentium uocis, uaricita
et commutatione uultus, prorsus malixquid sibi
molliturum esse. Proinde etiam illud lege iussa sim-
stulit: Quidam itaq; desolationem illam agre-
molesteq; patiens, et cupiditate dissoluendae tyranni-
dis permotus, in foru progressus est. ibi stans, mul-
tum et profuse lacrymatus est. Quem circumsta-
tit confluens omnis multitudo, quibus etiam ipse
in fletum ac luctum erumpentibus, nuncium ad
tyrannum allatum est, neminem quidē nutibus uti,
at lacrymas frequentes emittere. Qui festinans, ut
et illud prohiberet, neq; solum linguā, nutuq; ser-
uitute constringeret, sed etiam oculis à natura tra-
butam libertatem eriperet, quanta potuit celeri-
tate, pedes cum stipatoribus et satellitibus accor-
rit, ut lacrymas sedaret. At illi, cum à longo uix
eum uidissent, eripientes arma satellitibus, tyran-
num interfecerunt.

De Clinia, & Achille, musica solitis iram reprimere,

Clinia

Clinias moribus fuit honestissimus, sapientiae studio Pythagoreus. Is si quando in iram delapsus esset, atq; ad iracundiam se precipitem ferri sensisset, confessim, prius quam prorsus inuaderetur ab ira, ex elucesceret in ipso mentis affectus, choridis adaptatis, citharam pulsauit. Interrogantibus autem, ob quam causam id faceret: Quoniam, inquit, mitigor animo. Videtur etiam mihi Achilles in Iliade, cū accinuit citharae, ueterumq; res gestas cantando sibi ipsi in memoriam accersit, furorem & indignationem sopire. Etenim cū esset musicus, ex spolijs hosti erexit, primam aripuit citharam.

De quibusdam pecunias aspernatis pro salute ciuium, & qui credidores occiderunt.

Pecunias despexerunt, animiq; celsitudinem declararunt, uidentes, cum ipsi in amplissimis opibus uersarentur, ciues suos extrema rerum penuria laborare, Corinthi Theocles & Thrasonides, Mitylene Praxis. atq; alijs etiā hortatores & sua sores exiterunt, ut paupertatis onus egentibus relevarent: reliquis obtemperare nolentibus, ipsi sua debita remiserunt, atq; lucratifunt non quidem argentum, sed animam atque uitam. Etenim quibus condonata sua debita non fuerant, iij facto in credidores impetu cum armis, que suppeditabat ira se-

rox, & paupertas inexpugnabilis, & incumbens
tum rerum necessitas, mortem illis intulerunt.

Quomodo persuaserit quidam, uni- tatem & concordiam in re- pub. retinendam esse.

Factum est aliquando, ut Chij grauiſſimo sedi-
tionis morbo laborantes, tumultum inter se excita-
rent. Quidam igitur inter illos homo natura ciui-
lis & pacis amans, ad eos qui omnes amicorum
ſuorum aduersarios ex urbe uolebant eijcere: Ne-
quaquam, inquit: sed cum uictoriā obtinuerimus,
relinquamus aliquos, ne procedente tempore non
habentes aduersarios, nobis ipsis mutuo bellum in-
feramus. atq; hoc dicto eos persuasit. Hec enim ad-
ferens, bene ac recte dicere uidebatur.

De Antagora, conuic̄is Arceſi- laum proſcindente.

Arceſilaum Academicum Antagoras poeta
probris infectabatur, idq; cum danno ſuo etiam in
forum progressus. At ille magnifice prorsus, ubi
quam plurimos homines ſtare uideret, eo adibat,
atq; cum ipsis colloquebatur, ut conuiciator in plu-
ribus ſibi ipſi turpitudinem imponeret. Audientes
igitur conuertebant ſe, & infanie Antagoram
accuſabant.

De Agesilao.

Ego

Ego uero illos potissimum laude dignos iudicō, qui nascentibus malis semper occurrunt, et ea priusquam uiriū aliqua sit accessione facta, delent et extinguunt. Agesilaus igitur cōsuluit, ut indicta causa ad mortis supplicium raperentur, qui noctu sub impressionem Thebanorum coitionem fecissent.

De Pythea oratore.

Criminabatur quidam Pytheam, quod malus esset. At ille non inficias ibat. Hanc enim illi conscientia necessitatem imponebat. Sed respondebat, se minimo tempore omnium qui rem pub. Atheniensem administrassent, malum fuisse: nempe in hoc sibi placens, quod non perpetuo fuisse et usus di:putansq; se non iniuriam facere, si non cum pessimis compararetur. Stolidum hoc sane Pytheæ. Non enim solum qui iniuriam infert, malus est: uerum etiam qui iniuriā im inferre in animum inducit, ut mea fert sententia.

Quod Lysander pecunias Lacedæmonem importauerit.

Lysander pecunias Lacedæmonem attulit, et Lacedæmonios in deorum immortalium iussa delinquare fecit, quibus Spartā auro argentoq; iniuriam esse mandauerant. Quidam igitur sapientes uiri mordicus adhuc tenetes Laconicam integritatem, et Lycurgo, Pythioq; dignam uitam agentes, se sibi

illi opposuerunt, et reluctati sunt. Alij uero, qui permiserant, infamia reportarunt: et que a principio uiguerat ipsorum uirtus, paulatim interiit.

Quomodo Annon seipsum uoluerit pro deo uenditare.

Annon Carthaginensis prae nimia libidine, non uult intra hominum septa permanere, sed prestantiorem de se famam euulgare statuit, quam natura, quam sortitus erat, pateretur. Itaque plurimas aves ad perdiscendas cantiones idoneas coemit, et in tenebris obscuroque aluit, solumque unam cantilenam eas docuit, Annon est deus. Quae cum una dunt taxat audita voce, eam complexae essent consuetudine, aliam aliò in diuersas plagas dimisit, arbitratu-
s auium carmen de se uulgatum iri. At illæ semper alia soluta, libertatemque adeptæ, et ad consuetum sibi uictum reuersæ, naturalem cantum ediderunt, et auium modulationes recoluerunt, longo uale Annoni, doctrinæque, qua in seruitute fuerant immuta, dicto.

De Ptolemaeo qui cognominabatur Tryphon.

Ptolemaeus Tryphon (hoc enim cognomen ex uiuendi ratione inuenierat) cum speciosa quedam mulier loqui cum eo cuperet: Prohibuit, inquit, mihi soror, ne sermonem à speciosa foemina suscep-
rem.

rem. at illa intrepide, ac festiuè respondit: Atqui à specioso, inquiens, suscepis. Quod cum audiisset, eam laudauit.

De Timandrida, qui filium ob quisitas opes non laudauit.

Lacedemonius quidam, nomine Timandridas, cum peregrinationem suscepisset, familiæ procurationem filio delegauit. Deinde cum reuenisset, et rem multis pluribusq; partibus auctiorem reperiret, quam ante fuisset, multos dixit ab illo deos, et familiares atq; hospites iniurijs affectos. Etenim quæ in facultatibus superarent, ea in illos à liberis ciuibus erogari. Verum dum in uiuis agas, pauperem atq; egenum uideri: at cum uita sis defunctus, opes et diuitias rei familiaris deprehendi, id turpisimum in hominum societate existere.

De Platone & Diogene.

Platone de quibusdam differente, Diogenes praesens, non attente animaduerterebat. Quamobrem indignatione commotus Plato: Quin, inquit, diligenter sermones meos auscultas canis? Qui nihil perturbatus, At ego, inquit, nunquam eō sum scutus, unde uenij, quod canes solent: obscurèta scans ipsius in Siciliam profectionem. A iunt Platonem de Diogene solitum dicere, illum esse Socratem insanum ex furentem.

A quo

**A quo iura didicerint Aegyptij;
& de iudicibus illorum.**

Aegyptij sua iura à Mercurio profecta esse ià
etitant. Ita pleriq; de domesticis ex proprijs orna-
mentis gloriari consueuerunt: iudices autem apud
Aegyptios ijdem quondam fuerunt, qui et sacerdo-
tes. In his princeps erat sententiae, maximus natu-
re in omnes statuendi ius habebat. Eum omnium
hominum esse iustissimum ex sinceriſſimum opor-
tebat, qui circa collum imaginē ex sapphiro gemi-
ma confectā gestabat, quæ vocabatur Veritas. Egò
uerò iudicem non tam in lapide sculptam aut ex-
pressam ueritatem circumferre, quam in animo
menteq; insitam ex infixam habere, uelim:

De Laide.

Lais etiam Axine nuncupata est. Quod eius
eognomen ingenij peruersitatē redarguebat,
quodq; nimium quæstum exigeret, præsertim à pe-
regrinis, eo quòd statim essent discessūri.

**Quòd ridiculè faciant, qui propter
maiorum uirtutes altum
sapiunt:**

Deridendi mihi uidentur esse, qui propter pa-
rentam maiorumq; facta, tristas tollunt: siquidem
Marij patrem ignoramus, quem tamen ipsum ob-
terum gestarū magnitudinē suspicimus: item Catō
uñem, Seruilium, Hostiliū, ex Romulū. De

De statuis & imaginibus.

Status ex imagines, quas pictorum nobis ars exhibet, non oscit anter aut obiter spectare soleo. Nam in his etiam ars manuaria, iudicium aliquod sapientiamq; desiderat. atq; id sic se habere, cum ex multis alijs coniisci potest, tum ex eo potissimum, quod nemo pictorum seu factorum datus est unam quam Musis filiabus Iouis falsas, adulterinas atque alienas species affingere: neq; quisquam officium tam est expers rationis, qui eas cum armis fabricetur. Et illud argumento est, eam uitam quae Musis tribuitur, placatam, facilem, dignamq; ipsis esse oportere:

De Epaminonda & Pelopida.

Inter alia Epaminonde pulchre dicta factaque, que quidem plurima sunt, etiam hoc numeratur. Dicebat ad Pelopidam, non prius interdiu discendendum è foro esse, quam nouum aliquem anticum ad ueteres adieceris.

Quomodo Antalcidas munus sibi missum & unguento tinctum reprehenderit.

Persarum rex (dicam enim iucundū uobis aliquid) coronam ex rosis confertam illiuit unguento, misitq; Antalcide, de pace legationem obuenienti. At ille: Suscipio quidem, inquit, donum, atq; animi prompti-

promptitudinem laudo : sed rosarum odorem, nata
turaeq; fragrantia, artis adulteratione perdidisti.

De Alexandri Pherensium ty- tanni crudelitate.

Alexander Pherensium tyrannus, maxime tru-
culentus saeuusq; esse uidebatur. Theodoro uero
tragicō poeta, cum acri animorū affectu & com-
miseratione Aeropem agente, lacrymas profudit;
surgensq; de theatrō recessit. Verū purgans &
excusans se apud Theodorum, affirmauit se nō id
circo abyssē, quod illum aut aspernari, aut contu-
melia afficere uoluisset: sed quod puduisset ipsum;
bistrionis incommodis & affectionibus misericora-
dem uideri, suis uero ciuibus, & subditis non ita;

De Apollodori ex uino insania.

Apollodorus cum largissime omnium uinum
hauriret, non occultabat id uitij, neq; celare cona-
batur ebrietatem, & eius mala: sed incensus &
flammatuſ à uino, multo truculentior euadebat;
preter naturam, corporis etiam opportunitatem
adiungens.

Xenocratis sententia.

Xenocrates familiaris Platonis, dicere sole-
bat, nihil interesse pedes ne an oculos in aliena dō-
mo defigeres. Eodem enim modo peccare tam eum
qui

qui oculos in loca, quā nō cōuenit, uerteret, quām
eum; qui quō non lūcītūm est, uestigia inferret.

De Ptolemæo & Berenice.

Ptolemeus cū ad talōs sederet, ut ex alca ludē
tret, aſſtens quidam condemnatorum ipſi nomina
recitabat, ex criminā in eos collata referebat, ut
elle, qui nam mortis supplicium commeruiſſent;
deterneret. Berenice uero uxore eius accepto libel-
lo ē pueri manibus, non permisit ut ad finem usq;
legerentur: dicens, non ſic obiter aduertendum ani-
mum eſſe, cum de hominis salute diſceptetur, ſed
coſtitandum, ex relinquenda ludicra. Non enim ſi
milēm eſſe casum talorum, ex corporum. His aut
ditis delectatū Ptolemeum ferunt, neq; poſtea una
quām inter ludendū de capitalib. cauſis audiuiſſe:

Laconica lex de auaritiā.

Lacedemonius quidam adolescens, cum uiliſi-
mo precio fundum emiſſet, ad magistratum acce-
ſitus eſt, et multa affectus. ratio uero, quamobrem
iudicaretur ſupplicio dignus, illa fuit: quod tum iu-
uenis eſſet, nimium lucro inhiasset. Fuit autē apud
Lacedemonios laudatiſſimum, non ſolum aduer-
ſus hostem in acie, uerū etiam contra auaritant
ex argentū audere pugnare.

De quibusdam claris mu- tieribus.

r

Mulieres

Mulieres laude uehimus, ex Græcis Penelopen, Alcestim, et Protefilai. Ex Romanis uerò, Cornelia, Porciam, et Cestiliam. Possem quidem plus res recensere, sed nolo, cum Græcas paucas retulerim, Romanarum nominibus gloriās immorari, ne quis arbitretur me mihi meti ipsi propter patriā blandiri et gratificari.

De Magnetum acie contra Ephesios.

Magnetes accolē Meandri cum bellum Ephe sijs inferrent, singuli equites comyilitonem secum adduxerunt, canem uenatorium et seruum iaculatorem. Qum uerò iam in manus et in conspectum uentum esset, proruente canes aciem terrore et seuitia, et implacabili impetu perturbabāt. Serui uerò iaculando, dominos propugnabant. Atq; post canum ferociam, pugnae seruorum videbantur. Tertiō demum ipsi hostē aggrediebantur.

De Zeuxidis imagine Helenæ, & Nicostrato pictore.

Zeuxis cum Helenā pinxit, Nicostratus piCTOR stupefactus, imaginem intuebatur, sic ut manū festum esset eum picturā admirari. Accedens itaq; quidam rogabat, Quid nam tantum artem admiraretur? At ille: Non, inquit, id me rogarès, si meos oculos haberès. Ego uerò idem de oratione dixerim,

rim, nisi quis eruditas habeat aures: sicut opifex,
oculos artis peritos.

**Quos Alexander suspectos
habuerit.**

Alexander Ptolemæi dexteritatem habebat su-
spectam, Arrijuerò turbulentiam, et Pythonis no-
varum rerum studium timebat.

**Quare Philippus clarissimorum
hominum filios sibi mini-
strare uoluerit.**

Philippus, clarissimorum hominum liberis as-
sumptis, sui curā ministeriumq; ipsis imposuit: non
per iniuriam aut cōtemptum, sed ut patientes eos
laborum, et ad colendum officium promptos atq;
paratos redderet. Etenim qui ex ipsis uel luxui stu-
derent, uel segniter pigreq; iussa facerent, his infi-
stissimus fuisse dicitur. Aphthonetū igitur flagris
cēcidit, quod cum sitiuisset, acie deserta, digressus
ab itinere, ad publicum hospitium diuertisset. Ar-
chedamum uero morte malctauit, quod cum eum
perseuerare cum armis iusserat, ille deposuisset.
Existimabat enim se blanditijs et assentatione nul-
lo negotio regem sibi placaturum esse, quip-
pe lucro nimium deditus.

F I N I S.

r 2 IVSTVS

IVSTVS VVLTEIVS VVET.
teranus Christiano Pinciero pa=

tri suo S.



Vm incidissem in has re-
rum publicarū descripti-
ones ex Heraclide sum-
ptas, credidi me gratum
facturum omnibus, qui Græcas lite-
ras uel discere inciperent, uel pro-
sus ignorarent, si eas in Latinum ser-
monem transferrem. Quas ad te in
hoc tempore mitto charissime pater,
partim ut quoniām consularem in
patria dignitatem geris, veterume-
tiam ciuitatum seu nationū ortum,
conuerzionem, imperia, leges ac re-
ges cognoscas, quod tibi uoluptati
sit atq; commodo: partim ut publico
testimonio tuam in, me fratremq;
meum liberalitatem, qua nos ad per-
cipiendas ingenuas artes ac discipli-
nas adiuuisti, tester: & meū in te per-
petuum summumq; amorem, ut par-
est, ostendam. Vale, ac saluta meo
nomine matrem, et totam familiam.
Francofurti, Anno. 1548.

EX HERACLIDE DE POLITIIS

Atheniensium.



Thenienses ab initio regnum in administranda ciuitate usurparunt, et Iones à co-habitante sibi Ione primū sunt appellati. Pandion uero, qui post Erechtheū imperauit, filijs suis regnum partitus est: qui cum perpetuis factionibus disserent, Theseus eos promulgatione conciliatos, in æquabili pariq; dignitate constituit. Is deinde profectus in Scyrum, à Lycomede, metuente ne imperium inuaderet, de saxo precipitatus esse dicitur. Cuius ossa postmodum Athenienses bello Medico retulerunt. Post Codridas uero, nulli amplius reges eligebantur, eo quod in luxum atq; mollitiem delapsi esse uiderentur. Quamobrem Hippomenes unus de Codridis, uolens repellere calumniam, cum apud filiam Limonam adulterum deprehendisset, hunc quidem unā cum filia ad currum illigatum, interfecit: illam uero cum equo sub iugum constringit, donec mortem obiret.

Cylonem propter tyrannidem, qui ad aram

r 3

dece

deæ supplex confugerat, Megacles occidit: ex quæ fecerant, quasi reos impietatis expulit.

Solon legislator nouas tabulas fecit, quæ oīas οὐαχθεῖς uocabantur, quasi dicas oneris excusio. Cum autem quibusdam propter leges iniuisus esset, in Aegyptum concepsit.

Pisistratus, cum triginta tres annos regnasset, senio confessus obiit. Hipparchus Pisistrati filius amoribus et literis pari studio operam nauabat.

Thessalus uero iunior erat, et animosus. Eū regnante cum de medio tollere non possent, fratrem ipsius Hipparchum occiderunt. Hippias autem durius et acerbius imperauit, et legis de exilio decennali autor extitit. quæ tametsi propter tyrrannidem affectantes posita fuit, tamen in eius supplicium etiam alij incurserunt, ut Xantippus et Aristides.

Ephialtes proprios fundos, omnibus qui cuperent fruendos permisit, ex quibus plurimis uictum praestitit.

Cleon cum ad rempubl. accessisset, in miserrimum statum eam deiecit: multoq; magis, qui post eum secuti sunt. Nam ij uniuersos iniquitate et sceleri imbuerunt, neq; minus duobus millibus et ducentis morte affecterunt. Post hos Thrasybulus et Rhino, spectatae probitatis uir, summae rerum praefuerunt.

Themis

Themistocles, Aristides, et Areopagitarum fidicium, plurimū in ciuitate poterant, et viarum curam gerebant, ne quis in eis ædificaret, aut constitutos terminos excederet. Similiter etiam Vnde cimuiros constituunt, quibus eorum qui in uinculis et custodijs tenentur, cura mandatur. Sunt prete rea nouem principes legislatores: et cum cooptati sunt, religiose iurāt, se iustè iudicaturos esse, neq; munera accepturos, aut auream statuam etiuros publicè. Rex uero ea que ad sacrificia et bellum pertinent, administrat.

Lacedæmoniorum.

Lacedæmoniorum reipub. constitutionē aliqui totam Lycurgo acceptam referrūt. Alcman seruus Agesidae fuit. uerū cū esset in dolo iucūda dociliq; preditus, manumissus est, et in poetam euasit. Lycurgus in Samo mortuus est, atq; poesin Homeri à Creophyli posteris acceptā, primus in Peloponnesum intulit. uerū cū magnā iniustiā et iniquitatē in patria reperisset, Charillū, quod tyranicē imperiū gereret, magistratu priuauit, et inducias commune bonū instituit. Dicitur etiā primus Cryptam introduxisse, qua etiamnū interdiu exeentes occulatur, noctuq; cū armis abscondūtur, et Eilotas tot, quot cōmodū esse uidetur, occidūt. Constituūt etiā Ephoros, atq; illi summā in repub. potestatē obtinent. Nemini enim surgendi honorē habet, præter-

quam regi ex Ephoro. Cum uero rex e vita discer-
sit, per totum triduum nihil uenditur, atq; forum
paleis consergitur. Lacedaemonij Lesbium uac-
hōnore maximo habebant: huius enim uaticinia
deus audire ex auscultare iussat. Terram autem
uel prædia uendere apud Lacedaemonios de maio-
rum uetus ta hereditate, turpitudo non exigua pa-
tabatur: neq; uero licebat.

Lacedaemoniorum foeminiis omnis ornatus ex
mundus muliebris erectus est. Neq; enim comam
nutrire datur, neq; aurum gestare. Ita uero liberos
alunt, ut nunquam impleantur, quo esurire posse
consuecant. Assueciunt eos ad furandum quoq;
sed qui deprehendit, eum uerberibus ex plagiis
afficiunt: ut hac exercitatione, laboribus atq; uigi-
lijs in bello asuescant. Docent etiam statim à pri-
mis incunabulis, breuiter ex concise omnia proto-
qui, præterea concinnè scommata dicere atq; per-
peti. Sepultura tenuis atq; omnibus equalis est.
Triticum apud eos nemo pincit: neq; uero tritici,
sed hordei farina uescuntur.

Quemadmodum Penetas Thessali, sic Eilotas
aliquando Lacedaemonij in seruitutem redegerunt.
Dum Lacedaemonij bellum aduersus Messenios ge-
